

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum**

**Fecht, Johann**

**Francofurti et Spirae, 1684**

**VD17 VD17 3:315948Z**

Epistolarum theologicarum pars sexta

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

EPISTOLARUM  
THEOLOGICARUM  
*PARS SEXTA.*

Ab A. D.

M D X C.

usque ad annum

M D C.

EPISTOLARUM





## I.

*S. D. Reverende & clarissime vir, frater carissime.*

**Q**uas te mercatoribus Brunsvicensibus literas dedisse scribis, nondum mihi redditæ sunt. Quod meas, Spirâ, serò & non bonâ fide allatas, ostendis, doleo. Adjunxeram enim Carmina, ex Iconum D. Reufneri libro descripta, versibus quibusdam & ordine Epigrammatum mutato. Distichon eniam Effigiei adscriptum ita retexui:

*Cum Davide DELLM celebrem: tenerâq; juventa*

*Doctrinâ profum: carus & ipse DEO.*

Id mihi modestius & verecundius visum priore:

*Tot meritis clarus sanctisq; laboribus, &c.*

Quod si Carmina illa, Iconum libro inserenda, non recepisti, denuò descripta, per nondinas Francofurdia mittam. D. Cl. V. M. Josephi Langii amicitia mihi conciliatâ summas tibi gratias ago, ac vicissim illi proximâ occasione respondebo. Cl. V. D. D. Obrecht Chronicon superioris anni MDXC. alterum tibi mitto. Ad Jobinum rescripsi. Benè & feliciter vale. Postridiè Valentini, 15. Febr.

De Bernardo Jobino doceri cupio, an ipse sumptus edirionum faciat.

David Chytræus.

## II.

*S. in Domino Jesu Christo, Reverende & doctissime Domine Doctor, frater in Christo suavissime.*

**N**on equidem non agrè ferre possum, quòd rarius per literas colloqui possimus. Delitescò hic domi, ut claudus sutor, & cum in populosa degam civitate, tamen, more Antonii, in eremo mihi habitare videor. Legendo & scribendo tedium otii in nimis diuturno exilio vix lenire possum. Litera fratrum & amicorum paucorum quidem (✻ enim ñ duxorin) magno tamen, quoties mittuntur, solatio sunt. Inter has tuas creberrimas videre vellem, neque ulla sine responso acceptu-

Uuuu 3

ptu-

pturus essem, imò & tuas evocarem crebrius, si tabellariorum commodorum facultas daretur. Partum abesse reor, quin annus effluerit integer, cum nullas abs te literas acceperim, neq; ullas ad te mittere potuerim. Merito nos invicem excusatos habemus, cum promptæ voluntati internunciorum desit obsequium, latu autem interrim difficile & molestum est. Spero autem, te cum conjugè & liberis tuis rectissime valere, & res tuas omnes in optimo statu versari, sicut ardentibus votis in quotidianis meis ad DEUM precibus, & tibi & omnibus meis benefactoribus, dulcibusq; in Christo fratribus, impetrare studeo. Ego, ut arthriticus, jam mediocriter, completo nunc, DEO sic laus, sexagesimo ætatis meæ anno, valeo, meiq; liberi & uxor similiter. Annonæ caritas inopiam facile nobis facit ex copia, quam bonorum pietas suggesserat: sed speramus in Domino, qui suorum pastor est, nec vel animam vel corpus fame perire patitur. Novembri Mense despondi meam filiam Annam viro honesto, Johanni Soidano, artium liberalium Magistro, qui Hoffmanni nostri Jo. Friderici filius & domi & in Italia aliquandiu instituit, & Theologiæ valde studiosus est, ministerq; Evangelii, ut spero, vel in Austria vel in Stiria futurus. Dicebar is, se apud tuam Humanitatem fuisse Clagenfurti, ab eaq; literas ad me transmittendas accepisse, sed per errorem postea Viennam perlatas, ubi adhuc hærent, & reversum se domum, curaturum, ut reciperet & mihi mitteret, quod nondum est factum. Ex quo enim hinc discessit in Stiriam, neq; sponsæ neq; mihi ullas scripsit literas. Spero autem fore, ut propediem scribat, & quo die nuptias sibi fieri cupiat, indicet. Spero fore, ut & te in illis nuptiis videam. O, mi frater, si possem tibi cor meum effundere, quàm afflictum illud videres, ob hoc, quod tam diu in exilio detineor, nec in vineam Domini ad labores publicos revocor. Sæpè videor mihi à DEO ipso rejectus, qui me nolit amplius inter suos habere operarios. Nisi hæc Ecclesia tam miserè lacerata & *ἀσέβητος* facta esset (nolunt enim, ut fertur, & quidem de consilio Doctoris Jacobi Andreae p. m. deinceps alere pastorem aut Superattendentem, sed consul etiam pastor & Superattendens, & consistorium in curia erit, cujus exemplum ex Argentinensi Ecclesia laudatur) nisi talis mutatio hujus Ecclesiæ facta esset, haud dubiè mihi locus in ea docendi datus esset. Nunc autem, ut Megarensis, nulla mei habetur hic ratio, nec etiam aliunde opera mea petitur, senectus, imbecilla præsertim, in Saxonja & alibi amicorum conatus retudit. In ducatu enim Lunenburgensi cum decretum in consistorio esset, ut ad Superattendentiam amplam vocarer, quidam intervenientes dixerunt, me propter podagricam senectutem tam amplum munus administrare non posse. Hisq; obtemperantes consistoriales, ad alium illud munus transtulerunt. Credo igitur, mihi in hac mea pathmo esse moriendum. Sed sancta DEI voluntas fiat. Scripsi tibi, fidelissimo fratri & amico (in quo hanc fiduciam meritò locatam habeo, quòd meos conatus, quibus Ecclesiæ prodesse cupio, juvare & promovere studeas) scripsi, inquam, eo animo, tibi ante bienium, me Hebraicam veritatem in Lutheri versione Bibliorum rectè expressam de-

mon-

monstrare conatum ante multos annos, & ejus rei causa commentarios quosdam scripsisse, quos recognoscere & absolvere ante vitæ meæ finem percipiam, & cum in exilio nunc verfer, forsan opportunum illum fore laborem, si mihi Obadiæ contingerent, quorum beneficio victum & subsidia ad illum laborem habere possem. Accederent forsan nova latina versio, & utiles quædam annotationes, quod totum mellificium meum libenter tuo & tui similibus doctissimorum & pietate præstantium virorum judicio subjecturus essem. Ersi autem hæcenus à nullo, præterquam à te, spes aliqua auxilii & intercessionis apud præclaros Mecænates facta est, tamen ejus laboris præludium quoddam hoc anno typis Laugingensibus subjeci. Libellum sc. Salomonis proverbiorum in locos communes digestorum, cum duplici latina translatione, una veteri correctâ, altera ex Lutheri germanica translata. Cumq; typographus, propter inopiam, sumptus ferre nequiret, ego impensas dedi, pro singulis sc. octonariis binos florenos, ita ut summa impensæ ad florenos septuaginta pervenerit. Habet enim liber ad 35. octonarios complicatorum foliorum. Ne igitur nimis exhaustirer, dedicavi librum illum tribus consociatis nostris provinciis, ob causas iis potissimum delectis, quas in dedicatoria epistola explicavi. Ubi igitur librum illum (sicut intra mensem expecto) accepero, mittam exemplaria ad proceres, & epistola etiam tuam in me benevolentiam de nova intercessione sollicitabo. Sed & hæc mihi viam ad te præparo, orans & obtestans, ut veterem amorem etiam ad hunc mihi fructum proferendum exuscites. Non peto copiam proceres gravantem, sed ita meam inopiam relevantem, ut ipsorum arario nullum incommodum afferat, & opus in schola & Republica datum beneficium pulchrè compenset. Si saltem impensas recepero à tribus illis provinciis, contentus ero. Exempla sunt 500. Si in tres fratres scholæ distribuere vellent, omnia mitterem. Facias me quæso certiore, quod tuum sit in hac parte consilium, & siquam voluntatem Dominorum animadverteris. Forsan gravabuntur, cum proximè acceperim amplum munus: sed si causæ dedicationis, in dedicatoria epistola explicatæ, illis expositæ fuerint, & simul innotuerit, quòd exiguum tantum ad impensas compensandas petam, benigna voluntate accipient.

Ut hæc tibi scriberem, DEUS mihi optimum hunc virum D. Theodorici Rosini, hinc cum fratribus expulsus, generum, civem Lengfeldensem in puriore Palatinatu, doctum & sincerum, dedit nuncium. Eum ut, propter me, amanter amplectaris, rogo. Habet in Stiria & Carinthia ardua negotia, sicut ipsemet tibi significabit. Indigebit prætoris provincialis & aliorum Dominorum opera. Experieris eum optimum esse virum.

Nihil jam restat, Clarissime D. D. & Compater venerande, quàm ut generosum Dominum Paulum à Danhausen, prætorem provinciale, & generos. Dn. Ludovicum à Dieterichstein, & alios cum suis conjugibus: item Dn. M. Paulum Obrendorferum, Dn. Pastorem, imprimis tuam honestissimam conjugem ex me &  
mea.

mea conjuge honorificè & amanter in Christo salutes, & ipse nobis & Christo ad nos Nestoreos prosperrime vivas. Data Ratisponæ, 27. Februarii, anno 1590. juxta veterem calculum.

R. Claritatis tua

Observantissimus

Jeremias Hombergerus, D.

Mitto tibi chartam gratulatoriam expulsi hinc M. Abrahami, nunc Jenæ exultantis, ut videas, quales viros hæc Ecclesia amiserit per turbam usurariam.

III.

S. D. Magnifice & clarissime D. Doctor.

ILLustriss. Princeps meus Ulricus, dux Megapol. amicinæ suæ Urtulæ, Abbatissæ Ribnicensi, monumentum erigi curat, cui usitato principum more, sedecim avorum nomina cum insignibus effingi ex marmore curat. Deest autem nobis ex sedecim abavis, unica Jacobi Marchionis Badensis conjunx, quæ, quo nomine, & ex qua gente orta fuerit, ignoramus. Ad te igitur, velut ad sacram ancoram confugimus, ac ut nomen uxoris, & familiam illius nobis indices, rogamus. Memini aliquando te mihi integram Marchionum Badensium Genealogiam cum singulorum conjugibus promittere. Id si nunc tibi præstare vacat, pergratum erit: Sin secus constitutum est, Jacobi tamen illius ab Ænea Sylvio adeo honorificè celebrati, conjugem & familiam, ex qua orta est, indicabis. Nostra tibi studia & officia vicissim cum omni observantia constabunt. Benè vale. 20. Martii, Anno 1590.

David Chytræus.

Inscriptio.

Magnifico & clarissimo viro, D. JOANNI PISTORIO,  
Artis Medicae Doctori, & Marchionum Badensium Archi-  
atro, Domino suo.

IV.

Gratiam & pacem à DEO patre nostro, Jesu Christo, Domino nostro, Reverende & doctissime D. D. Compater honorande.


ET si nihil amplius, ad te, quod scriberè, habebam, tamen cum hic mihi tabellarius operam suam offerret, nolui eum vacuum remittere, cum præsertim diceret, se ad te

ad te missum Wormatia, huc reversurum. Peramanter igitur oro, ut mihi per eum rescribas & certiorum me facias, an proximas literas meas per Lengefeldensem civem, ultima Februarii parte missas acceperis, & quo in statu cum tuæ, tum publicæ res in utraq; politia versentur. Spero, me apud proceres vestros in antiqua esse gratia. De Villacensium Ecclesia, quibus ministris uratur & qualem scholam foveat, quo in statu sit, item Labacensis Ecclesiæ & scholæ fortunam pervelim habere cognitam. Labacensium enim hoc anno prorsus nemo mihi scripsit. Spero tamen, me ab eis nihilominus amari. D. M. Oberndorfferum ex me salutatum cupio, cum reliquis tibi fidelibus. Quæ reverentia in proximis, eadem in his generosum Dominum Paulum à Danhausen provincialem prætorem saluto, sicut & Dn. à Dietrichstein. Mea conjux tuam, sicut & filia mea Anna sponsa salutat. DEUS te cum omnibus tuis ab omni malo custodiat, Amen. Datum Ratisponæ raptim, antepenultima Calendarum Aprilis, an. 1590.

R. D. I.

*Observantissimus*

Jeremias Hombergerus, D.



V.

*S. D. Reverende & clarissime vir, frater carissime.*

Gratissimæ mihi literæ, quibus 27. Decembris adscripseras, etiam propter historiarum varietatem, & in iis recensendis diligentiam, fuerunt. Dedi autem infitori nostro, ad nondinas profecturo, literas ad te & Pistorium, quarum exemplum, his etiam adjunxi, ut de negociolo illo, per hunc tabellarium mihi respondere possis. Orationes de tribus Cæsaribus ex nundinis expecto. CHRONICON, ab initio & fine uno anno auctum, mitto. an isthic recudere velint, ipsorum arbitrio relinquo. De Filii imaturo obitu quod scribis, benevolentiam & *sympathiam* tuam agnosco. Sed intra decennium Dei beneficio nulla meorum funera vidi, & duos adhuc filiolos, Ulricum & Davidem, superstites habeo, qui me, dum DEUS volet, oblectant. Literas ad Eberzium, Wittebergam ad ministrum olim meum misi, qui se in manum eas Eberzo tradidisse rescribit. Quis Tragœdiæ, Casimiri conjugii motæ, exitus fuerit, doceri velim. Benè vale. Dominica *τῆς Πάσης*. 1590.

David Chytraus.

X x x x

VI.

## VI.

S. D. Reverende & clarissime vir, amice carissime.

**L**iteræ tuæ, unâ cum exemplis Orationum de tribus Cæsaribus, rectè mihi redditæ sunt, ac tibi gratias pro officio amanter ago. De Marchionis Jacobi Badensis conjuge, resolutionem tuam avidè expecto. Chronicon si exprimere Bern. Jobinus recufabit, vel si nondum excudere cœpit, in nondinis remittes. Intelligo ex D. Reufnero, eum Icones vitorum literis illustrium sub prælo habere. Ejus operis partem secundam, si aliquo usq; perduxit, quæso, ut meam effigiem & Epigrammata adscripta, per hunc tabellarium ad me mittas. Exemplar integrum typographo solvam, & si quid mutari velim, meo sumptu recudi paginam curabo. Historiam obitus conjugis Casimiri D. Posthiius mecum comunicavit. Faminæ optimæ de fine miserarum gratulor. Quod de Parisiensibus deditis significas; literæ Antverpiæ & Colonia recens allatæ indicant, obsessos adhuc durare, donec Hispani auxilia ex Belgico adveniant. Comunicabis igitur, quæ isthuc certa & exploratè cognita interim allatæ sunt. Fauces Sabaudicæ à Genevensibus teneri sanè optarim. Jacobus VI. Scotiæ rex Buchanani discipulus, semestre totum ferè, in Norvvegia & Dania hæsit. Cùm enim Annam, Daniæ regis sororem, legato illius Georgio Reich, regni archimarschalco, & Marcia ac borealis Scotiæ Governatori, Regis vices tenenti, desponsatam, adversis ventis in Norvvegia sinu Aliœnsi detineri ex suis intellexisset, ipse ex Scotia ad sponsam in Norvvegiæ oppidum Ailoiam propeans, hyme, maturius hoc anno ingruente, oppressus, Nuptias cum sponsa 23. Novembr. celebravit. Inde à Daniæ regina sociu & senatu regni invitatus, per Norvvegiæ scopulos, nivibus obrutos, & Nylosiam, Sueciæ provinciam, & Scania oppida, progressus, Cronenburgum in Selandiam tandem pervenit, 21. Januarii. Ad eum mensè Aprili Ulricus dux Megapol. Sponsæ avus maternus, & Henricus Julius Dux Brunsvic. ex Germania trajecerunt, ac præsentè illo, Henricus Julius, ipso die Paschæ, cum Elisabetta, Scotiæ reginæ sorore, matrimonium inchoavit. Rex, exeuntibus feriis, navi concessa & felici navigatione usus, Cal. Maji Lethæ appulit, ubi quomodo acceptus sit, ex adjuncta pagella cognosces. Regina Scotiæ 17. Maji coronata est. Sororem Reginæ Ducissam Brunsvic. mater Daniæ Regina, in domum mariti Wolfferbytum deductura, in feriis pentecostes, publicas conciones apud nos præsentia sua cohonestavit, nunc apud Patrem Ulricum Ducem Megapol. Güstrovix hæret, qui Wolfferbytum usq; siliam & neptem comitabitur. Bene vale. Rolsbochii, die Solstitii æstivi, 1590.

David Chytraeus.

VIII.

## VII.

S. D. Reverende & clarissime vir, frater charissime.

EXimium & gratissimum mihi beneficium tribuisti, quod nomen Conjugis Jacobi illius Marchionis exquirere, & me periculo mittendi ad Pistorium literas, liberare voluisti. Summas igitur tibi gratias ex animo ago, & vicissim tibi ac tuis, officia mea prompta & expedita defero. Georgio Norfchio etiam, verbis meis officiosè salurato, pagellas adjunctas reddi velim. Ad Jobinum typographum literas Francofordiam misi. Quibus cum nihil hæctenus receperim, ut per hunc tabelarium respondeat, amice monebis. Carmina ex D. D. Reusneri Iconum libro descripta remitto. Effigiem verò meam Chronico meo præmitti omninò nolim. Idèq; ad Jobinum scripsi, ut meo sumptu primam paginam recuderet, & priores Titulos omnes ad me mitteret. De Marchionis Jacobi morte rumor apud nos literis Heidelbergâ & Spira scriptis, sparsus & confirmatus est. Pistorii librum contra Osiandrum non vidi. Canonici vestri, violentâ manu grassantes, ut *Igor ille uigor, à miorzuoq; uenit* brevi forè sibi attrahent, quo utinam non plures implicentur. Eberzium tuum, si ad me venerit, complectar eâ fide & officiis, quæ proficisci à mea tenuitate possunt. De Lutetiâ deditâ nihil adhuc Colonia & Antverpiâ certum nunciatur. In Carminibus ex D. D. Reusneri Iconum libro descriptis, pro primo Disticho

( Tot meritis clarus, sanctiq; laboribus annon  
Charus sim populis, charus & ipse DEO )

operam aliud substitui modestius & verecundius; quod non tantam arrogantiam, & ambitionis speciem haberet, in hanc vel similem sententiam:

Cum Davide DEUM celebrem: teneraq; juventa  
Doctrinâ profim: carus & ipse DEO.

Significa quæso, quis correctioni in officina Jobini præsit, & quando alteram partem Iconum orsurus sit. Tu benè & feliciter vale. Rostochi, Die Francisci,  
1590.

David Chytræus.



## II X.

Gratiam & pacem à Deopatre & Domino nostro Jესu

Christo Reverende & doctissime Domine Doctor, Compater & frater in Christo,  
summo mihi & honore & amore colende.

Quas per Vitensem civem 14. Octobris ad te direxi, jam pridem te accepisse confido. Biduo post, qui fuit nostri Calendarii 16. venit ad me

Xxxx 1

Col-

Collega vestri Gymnasii, Johannes Heroldus, & tuas, 9. Octobris st. n. exaratas, mihi, in compedibus meis detento, exhibuit. Is hodie cum Barone, juvene, à Dietrichstein/ ejusque præceptore, M. Simone Wexio, ex Thuringia huc rediit, rectà cum illis suis comitibus in Carinthiam ire continuaturus. Etsi autem ob quandam animi ægritudinem (cum ex compedibus per dies quatuordecim, DEI gratia, solutus, in domo mea obambularim) vix dignam lectu epistolam polliceri posse videbar, tamen aliquid saltem, & vel hoc ipsum, scribendum mihi esse arbitrabar. Quæres haud dubiè, si præstò essem, quæ animum meum ægritudo gravaret? Sed ea est multiplex, & si telam illam ordiret, citius penelope suam pertexere posset. Præstat igitur eam intùs conquire, & precibus ad DEUM vincere, quàm tuum animum in similem aut graviolem ægritudinem conjicere. Omnia floccipendere, quæ carni molesta sunt, & hoc solum magnificere, quod spiritum, & cœlestem, quæ nobis à Christo parata est, hæreditatem concernit, Christiani hominis est. Hoc ut faciam, quotidie disco, & utinam in hac Spiritus Sancti schola feliciter proficerem, senex præferim. Fundamentum per gratiam DEI teneo, vel potius ab eo tencor. Stipulas, fœnum & ligna tribulationis ignis exuret, salute immota mihi per fundamenti gratiam manente.

Scholam vestram restauratam, & dysenteriaë flagellum inhibuit esse, vobis gratulor: quòd autem negligentius apud vos Musis juvenus militat, condolco. Gallus Æsopicus granum hordei vel Cleopatraë unioni præferat. Ferendum est, ἀχρηστίασε. Pinguet factus forsitan gallus, ubi coqui cultrum senserit, gula incisa, unionem, pretio nullo comparandum, serò requiret. De gubernatione Tutorum vix bene sperare licet Ecclesiæ. Sed orandum est, ut regum corda trutinans, omnia sic disponi curet, quo aliqua saltem halcyonia nomen Christi rectè colentibus concedantur, in tribus aut pluribus illis provinciis.

Doctor Mylius in extrema parte suarum literarum, quas mihi Wexius attulit, hæc verba attexit. In Misnia vicina subinde omnia in deterius ruunt, Calvinismo ita invalescente, ut qui clam hætenus hæresin istam fovērunt, nunc publicè eam profiteri non reformident. De Electore interim optima speramus.

In iisdem literis mihi diligenter commendavit M. Simonem Wexium, & rogat, ut eum adjuvem, quòd alios nobiles & generosos adolescentes in convitium & disciplinam suam accipiat, cum autem occasionem jam nullam habeam cognitam, nihil ei adjumenti in præsentia possum afferre. Pater ejus consul Jenensis civitatis est, habet uxorem & ex ea prolem, habitat in domo sua, quam satis capacem & ad fovendum tales hospites commodam esse dicit, diligentiam, industriam, & fidem suam probavit viris doctis & sapientibus

tibus, etiam in Carinthia, ubi Danhufanos instituit & alios, quos etiam JENÆ informavit. Rogo igitur, ut eum promoveas, si potueris.

Vexationem D. Pastoris vestri, quam Cyriacum illum suscepisse scribis, de qua hætenus nihil audiveram, non libenter audio. Videndum est, ut cautè & prudenter respondeat. Ut enim profus sileat, Ecclesiæ non consultum judicarem. Fuit enim periculosissimum certamen, quod ego ita oppressum cupiebam, ut nulla scintillula evolare. Si quis urgere voluisset, convicisset, divinitatem Christi cum Ario negari. Sed noli hoc D. Pastori ex meis literis indicare, ut autem piam prudentiam in responsione adhibeat, nihil de disputatis resuscitans, author & adjutor sedulus & fidelis esto, propter Ecclesiæ teneritudinem. Restat jam nihil, quàm ut cum tua conjugè (quam mea salutat admodum amanter) cumque liberis tuis ad Nestoreos annos rectissimè valeas. D. Pastorem cum omnibus Collegis similiter ex me plurimum salutari peto. Dabatur hoc epistolium 14. Novembris, anno 1590. st. v.

*F. Claritatem*

*summa cum observantia colens*

Jeremias Hombergerus.

Salutem cum debito honore meo nomine dici cupio Dominis omnibus, qui eam benevolis animis à me dictam acceptare gaudent, inter quos præcipuos habeo D. Paulum à Danhausen / Provinciale Prætorem seu gubernatorem, & D. Bartholomæum Rifenhillerum, Burggravium, &c. & D. Ludovicum à Dietrichstein / &c. Illi, credo, non dedignantur à me salutari. Precibus meis & illos & omnes, te etiam tuosque & Scholam tuam, totamque vestram Ecclesiam misericordiarum patri quotidie commendo. Vale in Domine Jesu, charissime Domine Doct. & colendissime comperat.



IX.

*Sal. in Servatore Christo, Reverende & Clar. D. Doctor, Domine, amice & frater plurimum colende.*

**O**Ravit me hospes Joh. Christophori Schleittii, Mag. Adamus Volsius noster, ut per te monendum curarem fratrem illius, Franciscum Ludovicum, ut tandem aliquando pecuniam huc mittat fratris nomine: nihil enim ipse adhuc accepit, cum jam fermè per annum convictorem ipsum habuerit. Etsi autem non libenter molestus tibi sum hoc nomine, tamen negare amico officium hoc non potui, teque

Xxx 3

majorem

maiozem in modum oro, des operam, ut Mag. Adamus inrelligat, me diligentissime ista de re ad te scripisse. Quam autem pecuniam ego à mercatore quodam Nordlingenſi ſuperioribus menſibus accepi, ejuſdem Schleittii nomine, de ea ſpero Mercatori jam eſſe ſatiſfactum.

De rebus aliis non habebam, quod ſcriberem, & eram ſanè occupatior ſolito. *μαζοδελια* mea Auguſtiniana prælo brevi ſubjicientur : te exiſtimo in Refutatione Neocſtadiana pergere, & ſpero futurum brevi, ut ejus uſus ſit futurus haud contemnendus, qua de re aliàs. Benè in Chriſto Servatore vir clariff. unà cum conjuge honeſtiſſima & liberis vale. Argentorato, 16. Novembr. 1590.

Tuus in DOMINO frater

Joh. Pappus, D.



X.

S. D. Reverende & clariffime vir, frater cariffime.

CUM admodum incommodè habeam, imò non ſine periculo hoc tempore ægrotem, adjungo pagellas rerum, quæ in Arctoïſ his gentibus, memoriâ dignæ, ſuperiori quinquennio acciderunt, ut brevitatem Epiftolæ, varietate & copiâ hiftoriolarum, quas minore eum moleſtiâ quàm literarum mearum balbutiem perluſtrabis, penſarem. Apud nos omnia DEÏ beneficio tranquilla, & eccleſiæ ac ſcholæ ſtatus mediocriſ & tranquilluſ eſt. Ego brevi me, in cœleſti Academiâ, omniſ caliginis, errorum & angorum expertem, de vivo Sapientiæ gurgite doctrinam, cujuſ initia in his terris libavi, hauſturum ſpero. Interea exilii hujus ærumnas placidè feram. Benè & feliciter vale. Dominica dulciſſimæ diſputationiſ Chriſti, & moeſtæ matris Cananæ, Anno 1591.

David Chytræus.



XI.

S. D. Reverende & clariffime vir, frater cariffime.

SCRIPſit ad me, initio hujus anni, Bernarduſ Jobinuſ, ſe primam & poſtremam Sylvæ Chronici paginam recudere velle. Id ſi factum eſt, quaſo, ut duo aut tria exempla, non integri libelli, ſed earum ſolummodò chartarum, quæ ruruſ expreſſæ ſunt,

sunt, per hunc tabellarium ad me mittas. Meminit etiam versionis Chronici germanicæ: Quam si isthic alicui idoneo commendare velit, primam Chronici partem emendatam & auctam illi mittam. Etsi enim apud nos aliquis in Germanicum sermonem eam traduxit, tamen elegantiorum ac nitidiorum obtineri posse optarim. Prolixioris epistolæ loco adjunctæ pagellæ mihi apud te futuræ sunt. Itaq; desino, & DEUM, ut nos doceat & gubernet, oro. Die Triumphi Christi, 1591.

David Chytræus.



## XII.

S. D. Reverende & clarissime Dn. Doctor,  
*frater carissime.*

Iteræ tuæ, quibus 7. Junii adscriptisti, tempestivè mihi redditæ sunt. Priores verò, quas Jenensi tabellario te commendasse ostendis, nondum ad me pervenerunt, sicut nec exemplaria Chronici, quæ Jobinum, Francofurti, cuidam in maritimis locis habitanti, tradidisse scribis, hætenus accepi. Oro igitur, ut nomen illius, qui exemplaria recepit, & urbis, in qua habitat, ex Jobino inquiras, & ad me perscribas. Interim, si absque incommodo Jobini fieri potest, sex adhuc vel octo paginarum recusarum exempla, à reliquo Corpore Chronici separata, per hunc Tabellarium ad me perferri optarim. In narratione de obitu Marchionis, cum de hærede masculino dubitarem, admonendi causa in margine verba (inquiratur & emendetur) adscripseram, quæ in aliâ editione deleri poterunt. Scribis, Jobinum petere, ut primam Chronici pars emendata isthuc mittatur, ut converti in linguam germanicam queat. Eam tabellario huic persoluta mercede tradidi, nec pluribus eum onerare ausus sum. Optarim autem, Latini Chronici pagellas custodiri, si fortè aliquando in folio, omnia simul ex illis collocanda essent. De Canonicis vestris, & alijs, quæ in vicinia publicè aguntur, à te doceri percupio. Apud nos omnia in pristino statu sunt, nisi quod D. Simonem Pauli collegam, mox secuturi, præmisimus, ut ex Programmate adjuncto cognosces. Cl. V. Dn. D. Obrechtum & Josephum Langium reverenter saluto. Benè & feliciter æternùm vale. Calendis Augusti, Anno 1591.

David Chytræus.

XIII.

## XIII.

*Salutem in Christo, Reverende & clarissime Domine Doctor, compater honorande.*


**H**ic Johannes Bickingerus, Hellsus, meus conterraneus, de improvise veniens, officium perferendi ad te literas mihi obtulit, qui, cum fidem testimoniis confirmasset, quod non procul à vestro oppido scholasticum munus obiret, facile longas à me literas impetrasset, si moram aliquam ferre potuisset. Cum autem voluntati ejus nautæ festinatio obstaret, has brevissimas ei ad te perferendas dedi. Nuper Valentinus noster à vobis sine tuis literis reverfus, & adversam valetudinem tuam, quò minus rescriberes, in causa fuisse referens, me maxima tristitia affecit. Etsi autem spero, te vires integras recuperasse, tamen sollicitudinem deponere nequeo, priusquam literis tuis inde liberer. Dabis igitur operam, ut quam primum me certiozem reddas. Edidi hoc anno librum Francofurti à Spiessio excusum, qui habet pleniorum explicationem locorum Theologicorum. Eum etiam quatuor Austriaci ducatus provinciarum proceribus dedicavi, ob causas in præfatione explicatas. Etsi autem metuo, ne crebris illis dedicationibus proceres offendam, tamen & tua & Veneti intercessione me conolor. Non peto, ut me remunerent ex ærario, tantum ut grato animo me dedicare agnoscant, & hilari vultu excipiant. Quod verò ad compensationem attinet, hoc unum oro, ut curent à singulis ministris singula emi exempla, & illa collecta pecunia mihi mittatur. De hac te etiam ad D. Pastorem vestrum scribam, sicut ei nuper promisi, ita sine dispendio & publicæ & privatæ pecuniæ compensatio impensæ, quam in eum librum feci, fieri poterit. Pactum demonstrare possum, quod inter me & Spiessium fuit initum. Oportuit me, deprompta pecunia, ab eo ad me recipere 500. exemplaria. Ea misit huc, & recepit à me in bona moneta missos florenos 250. pro vectura perfolvi florenos 15. Hic nullum exemplar vendidi. Norimbergæ, Augustæ & in tota vicinia, ubi nostra regnat religio, bibliopolæ habent exemplaria, quæ Francofurto sibi allata curarunt. Magnum igitur damnum accepturus sum, nisi in vestrarum Ecclesiis & Scholis indicato modo compensationem impetrem. Ad hanc rem, ut & tua mihi pietas commodare dignetur, oratum volo. Si Domini auctoritatem suam interposuerint, & rei huic D. Pastor faverit, felix hoc meum erit consilium. Dominos gravare nolo, cum & nuper multum dederint. Misi exemplarium copiam dolio inclusorum per Lyncianos mercatores in Stiriam: inde ad vos rata pars transferetur, sicut & tertia pars in Carniolam. Plura jam nequeo propter Nautæ festinationem. Gratiarum actio ad Dominos è Stiria, simul mittitur: Munus eorum adhuc Græcii apud D. Venetum est, & forte jam per Lyncium ad me mittetur. Saluta ex me D. Pasto-

Pastorem & reliquos fratres, & feliciter vive ac vale cum tuis omnibus, mi charissime Dn. compater. Datum celerrimo calamo, 6. Augusti, anno 1591.

Rev. Dign. tua

observantiff.

Jeremias Hombergerus.



XIV.

S. D. Reverende & clarissime Domine Doctor, frater carissime.

**D**edi ad te initio Octobris literas, tabellario isthuc profecturo, ut mihi adfirmabat. Sed cum fidem datam fefellerit: exemplum epistolæ illius, qua tuis prioribus respondeo, rursus adjungam.

Eximium & gratissimum mihi beneficium tribuisti, quod nomen conjugis Jacobi illius Marchionis exquirere, & me, periculo mittendi ad Pistorium literas, liberare voluisti. Summas igitur tibi gratias ex animo ago, & vicissim tibi ac tuis officia mea prompta & expedita defero. Georgio Norschio etiam, verbis meis officiosè salutato, pagellas adjunctas reddi velim. Ad Jobinum typographum literas Francofurti misi. Quibus (cum nihil hactenus receperim) ut per hunc tabellarium respondeat, amice monebis. Carmina ex D. D. Reusneri Iconum libro descripta, remitto. Effigiem verò meam Chronico meo præmitti, omnino nohim. Ideoque ad Jobinum scripsi, ut meo sumptu primam paginam recuderet & priores titulos omnes ad me mitteret. Pistorii librum contra Osiandrum non vidi. Canonici vestri, violenta manu grassantes, ut *legit ille uisus, improprie rursus* brevi forte sibi attrahent, quo utinam non plures implicentur. Eberzium tuum, si ad me venerit, complectar ea fide & officiis, quæ proficisci à mea tenuitate possunt. De Luteria dedita nihil adhuc Colonia & Antyerpia certum nunciatur. &c. Hæc epistola, si ad te delata est, oro ut significes, an carmina ex D. D. Reusneri Iconum libro descripta, rectè tibi reddita, & Jobino restituta sint. Epistolam ad Jobinum apertam mitto, quam lectam ipse ei trades, ac ut mihi, quantum fieri potest, gratificetur, efficias. Nihil enim iniquum, vel ab illius etiam rationibus alienum, petere me arbitror. Myrosam ipsi mitto, ut primam paginam recudat, & Effigiem meam ac Epigramma & epistolium ad Lectorem, omittat: & in locum illorum, Narrationem de Ducatu Slesuicensi substituatur. Quod ut perficiatur, urgebis. Epigramma M. Josephi Langii, (ad quem tabellarium, ut literas ipsi exhibeat, deduci fines) cæteris carminibus de me scriptis, in libro Iconum Reusneri, adjungi curabis. Apud nos omnia DEI beneficio tranquilla sunt. Inter Suecos & Molchos bellum recrudescit.

Y y y y

Quid

Quid in Polonis & aliis hujus Arctoi orbis gentibus hoc anno memorabile acciderit, ex pagellis, Sylvæ Chronici addendis cognosces. Cætera ad Clarissimum virum, D. Obrechtum scripsi. Bene vale. Postridie S. Nicolai Patarenfis, Episcopi Myræ in Lycia, qui tempore Concilii Niceni floruit.

David Chytræus.




## XV

S. D. Reverende & clarissime vir, frater carissime.

Literas tuas, pridie Bartholomæi datas, unâ cum prioribus, quas Jhenensi tabellario tradideras, accepi. De Chronico, ad ipsum Jobinum scripsi. De Carthusia vestra doceri velim, quid in eam rex Galliæ prius antea habuerit, cum, à civibus Argentinesibus primò fundatam fuisset, intelligamus. Quid in orbe hoc Arctoo superiori anno memorabile evenerit, proximè, si vivam conjunctim mittam. Sed maximè memorabilis & miranda est mutatio Dexteræ excelsi, in ecclesiis Misniæ facta, de qua, ut de morbo Electoris lethali, & quæ sepulturam illius secuta sunt, adjunctas narrationes, ab amico fide digno mecum communicatas, tibi & Collegis legendas mitto. Neq; enim pluribus scribere hoc tempore, sextam nunc hebdomadam ex Arthritide decumbens, & dextræ manus usû privatus, potui. Doctorem Simonem, ex hac Academia evocatum, secutus est vir optimus & doctissimus M. Johannes Potfelius, de quo Rectoris nostri programma mitto. Decessit etiam juvenis Ebrææ linguæ lector, M. Jacobus Bacmeisterus, & præcessit hos omnes D. Levinus Battus, Medicus. Sic quatuor Professores uno ferè semestri amissus. Nec meæ vitæ meta longius abesse potest. Vetera igitur transibunt, & nova erunt omnia in hac Academia, utinam meliora. Bene & feliciter vale. Pridie Natalis filii DEI, Domini nostri JESU Christi, ordientis annum 1592. quem tibi & toti Ecclesiæ & Reipublicæ faustum & salutarem ex animo precor.

David Chytræus.



## XVI.

S. D. Reverende & clarissime vir, frater charissime.

ET si ante mensẽ literas ad te, Bartholomæo Timnio, civi nostro, tradidi: tamen huic etiam tabellario Wilhelmo Baumeister, homini pio, ingenioso, & fa-

gua-

tundo, aliquid dandum duxi, ut occasionem cum eo colloquendi haberes. Præcentor fuit ecclesiæ Augustanæ, sub D. Georgio Mylio adhuc florentis. Nunc ex Livonia, Moscovia, & Prussia redux, Lindaviam, ad Lacum Podamicum, proficiscitur, ex quo multa de variis rebus, cognitu non injucunda audies. Plura non addo, cum hujus viri facundiam gratiorem tibi meâ balbutie futuram existimem. Bene & feliciter vale, Rostochii, incunte Anno 1592. quem tibi, & toti ecclesiæ & Academiæ vestræ fastum & salutarem ex animo precor.

David Chytræus,

XVII.

*S. D. Reverende & clarissime vir, frater carissime.*

**F**ilium DEI Emanuelem & Servatorem nostrum Jesum Christum, à cujus Generatibus, quæ æternæ salutis nostræ exordium fuerunt, Anni etiam Novi principium in Ecclesiâ recens duximus, toto pectore precor, ut Annum felicem, tranquillum & salutarem Tibi & toti Ecclesiæ tuæ domesticæ ac publicæ tribuat, & nos singulos doceat, gubernet ac servet; ut labores docendi nostri, DEO grati & auditoribus nostris salutares sint. Quas postredie Nicolai, ad te literas, dedi Bartholomæo Timmen, civi nostro, eas dudum tibi reddidas, & jam ad eas responsum esse spero. Meministi autem, serid petere me à typographo Jobino, ut in Chronico nostro, omissâ effigie meâ, primam paginam seu Titulum recuderet, eaque de causa Ducatum Portugall. illi à me missum esse. Substitui autem volui, in Effigiei locum tribus primis columnis, de SLESWICENSI Ducatu narrationem, cujus prima verba seu faciem primam, quæso ut secundum adjunctam, & litera B. notatam, paginam, collocari sinas, & postea circa medium narrationis SLESWICENSIS, adverbium, infideliter, fædissime & proditoriè, inducas, & sola ista verba (multasque alias Felonias, ut nemi-  
nant, commiserint) relinquant. In altera etiam Narratione anni MDXC. in fine Chronici addenda, mutes vel inferas ea, quæ in altera pagina, signo A. notata, ordine annotantur. Oro autem, ne recuses tantillum molestiæ meâ causâ subire, & operam dare, ut diligenter ac emendatè, duabus primis, & postremis Chronici paginis, omnia collocentur. Mea tibi studia & officia vicissim in quibuscunque voles negociis deferro. De rebus in Gallia post Ducis Parmensis in eam adventum, proximis mensibus Augusto, Septembri & Octobri gestis, binas narrationes typis descriptas mitto, quarum alteram prolixiorem, Daniel Rogerius, Reginæ Angliæ Orator, Londino Angliæ, alteram brevior, Ja-  
Y y y 2 nus

nus Metellus JC. Regis Hispaniæ minister, ad me superiori mense Novemb. dederunt, ac utriusque narrationis collatio inter se magnâ ex parte congruens veritatem illustrat. Postea Cochelium ad Sequanæ & Stampei confl. situm, quod Parmensis vi cruentâ expugnârat, à Melodunenſi præſidio Regis nomine, 12. Novemb. receptum & Parmensem, Bruxellas, exeunte superiori mense reddiſſe, Antverpiâ ſcribitur. Sed hæc iſthic vobis fortalſe jamdudum nota ſunt. Miſi tamen, ut de veritate illarum, & de ſecutis uſque ad ſuperioris anni exitum eventibus ex vobis plura & certiora cognoſcerem. In Arctoo hoc orbe bellum inter Suecos & Moſchos poſt abruptam die 5. Octobris irrito exitu pacis actionem, recruduit. Ruſſica Nerva per Suecos fruſtra tentata eſt. Nunc in Hyberna milites diſtributi ſunt. In Polonicis Comitibus inſtætinæ diſſenſiones inter Cancellarium Zamoſcium & proceres pleroſque pacatæ, & priſtina tranquillitas regno reſtituta eſſe, Daniſco ſcribitur. Apud nos itidem mediocriter florens eccleſiæ & Academiæ quies eſt. DEUS nos deinceps etiam ſervet & gubernet.

David Chytræus.

XIIX.

S. D. Reverende & clariffime vir, frater cariffime.

**H**ermannum Richium ſepè iſthuc ire ac redire, mihi quidem gratum eſt, ut loquendi tecum per literas occaſiones crebriores habeam; an ipſi & rei ipſius familiari commodum ſit, ambigo, & domicilium ac ſedem ipſi ſtabilem & diuturnam aliquando præberi opto. Superior mensis Martius, duos nobis principes Meapolitanos, Chriſtophorum & Joannem, ademit, quorum ille, Ulrici frater, anno ætatis Heroum Climacterico 56. morte placidiſſimâ cum ſomno continuatâ, nocte, quæ diem 4. Martii præceſſit, extinctus eſt, cum pridie rectè valens & hilaris ſecubium contuliſſet. Alter Joannes, optimi Principis Joannis Alberti, fratris Ulrici, filius, cum media nocte, nonam Martii inchoante, ſe ipſe aliquot vulnuſculis leviter perſtrinxiſſet, eſi hæc intra octiduum omnia curata ſunt, tamen mente ægra, perturbata & inquieta ſemper fuit, donec tandem ad ſe rediens, die 22. Martii, pie deceſſit, annum ætatis 37. vix ingreſſus. Nonæ enim Martii, anno 1558. Natales ei fuerunt. Utriuſq; funeri proximis diebus 26. & 28. Aprilis Suerini juſta ſolventur. Ego ambobus mea oratione parentare juſtus ſum, ex quibus alteram de duce Chriſtophoro mitto, ac examen libelli Pezelii tuum viciffim expecto. De mutatione dextere excelli, in ſuperioris Saxonie eccleſiæ & Academiæ facta, jamdudum cognoviſti. Sed magna penuria eſt mediocrium theologorum, qui dimiſſis tam Academiæ ho-

nore

nore substitui possint. Quæso igitur, ut de tua voluntate in Wittebergensem Academiæ migrandi significes, nam Gymnasium isthæc tuum morbis epidemiis & annonæ caritate debilitari & adfligi ipse ostendis. Georgius Mylius jam vicariam operam Wittebergæ præstat, donec D. Hannius accedat, quem tamen Ludovicus Landgravius adhuc quidem dimittere recusat. Polycarpus Lipsiam invitatur, Selnece- rum revocari non audio. Nos etiam D. Simoni Paulo successorem quærimus. Posseli locum, filius, patri *invenit*, subibit. De provinciarum archiduci Carolo Subjectarum statu præsentis, à te doceri, & Nomina filiorum & filiarum illius, mecum communicari peto. Principi meo Christophoro, regis Poloniæ literæ, quibus eum ad nuptias cum Caroli filiâ, die 26. Aprilis celebrandas invitat, pridie obitus, 3. Martii redditæ sunt. An Ernesto, Administratori jam vestro, Hispaniæ regis filia nubat, itidem significabis. Generoso Domino Paulo à Danhausen, libenter Chronicon Saxonie meum, ab anno 1500. ad 1592. deductam, mitterem integrum. Sed viatorem grandi re libro onerare non potui. Officia tamen & studia Clementiæ ipsius mea, cum omni observantia defero. Benè & feliciter vale. Die Georgii martyris, carcere, cruce, fame, vinclis, siti, frigore, flammis Christum confessi. Anno 1592.

### David Chytræus.

#### XIX.

*ab unico Salvatore nostro Domino Jesu Christo, Honorande D. Compater, Doctor clarissime & doctissime.*

**N**ono scilicet v. die Octobris per M. Georgium Mannum, Augustanum, copiosè tibi de statu rerum mearum & aliis quibusdam negotiis, & D. M. Stainero Pastori breviter scripsi. Quia tamen harum lator, Wolfgangus Striccius Saxo, Carniolanorum procerum, qui nostræ confessionis sunt, Cantor, insignis & publicè probatus mulicus, quem ego optimum virum esse judico, se per Clainfurtum Labacum rediturum dicebat, nolui permittere, quin tribus saltem verbis te salutarem. Non enim patitur charitas, & intima, quæ nos constringit, necessitudo, ut ullam salutandi & officia vel deferendi vel præstandi occasionem prætermittamus. Hoc ergo repetitum sit uno verbo, quod nuper de rerum mearum statu scripsi. Non mutatus est interea. Delitescō, velut carceri inclusus, sollicitus, propter incertitudinem, quis exitus sit futurus. Solus Venetus ad me comeat & consolatur, futura in spe bona relinquens. Alienus factus sum omnibus, & abitum meum plurimi optant & sperant, suppellex mea tota cum libris meis omnibus adhuc Viennæ apud Depositarium custoditur. Si liber essem, possem fortasse hoc tempore bonam habere occasionem

in Saxonia aut etiam in alia terra, Sed cum me DEUS in hanc angustiam redegerit, ut nec retrò nec ante mihi liber progressus pateat, patienter eventus, ejus providentiæ notus, mihi expectandus est. De libris, Justificationis locum explicantibus, idem, quod in proximis literis, moneo, Stant hic vasi inclusi, qui proceribus Carinthiæ pro sua impensâ destinati sunt, Quotidie insto apud D. Venerum, ut transmitti curet, ille verò dicit occasionem sibi deesse. Vellem igitur te operam dare, ut per bonam occasionem, quam observare te posse arbitror, ad vos transvehantur. In festo paschatos tria vasa libris ejusdem argumenti repleta Lyncium miseram & addideram literas ad Venerum, ut inde huc transvahi & singulis provinciis suam partem mitti curaret. Sed ipse neglexerat, aliis negotiis intentus, & nisi huc advenissem & urbissem transvectionem, adhuc Lyncii starent.

Tuas lucubrationes contra Sacramentarios percipio videre & legere. Contra Manichæos tuas disputationes, aliquoties perlegi, quibus admodum delector. Deus tibi miram sermonis munditiem & *vigilantiam*, seu lucem lectoris intellectum illustrantem, dedit. Hoc dono, multum scribendo, Ecclesiæ quorundam te servire hortor, ut subinde novum fructum ex hortulo animæ tuæ capiant Ecclesiæ. Hæc enim est vita nostra in terra, in qua, quæ delectatio alia nobis quæritur, vanitas est. De statu rerum tuarum & publicarum rogo, ut ad me scribas. De præsentibus variis cogitationes concipio, parum bonæ spei. Deus pusillum suum gregem protegat. Huic te commendo, clarissime & carissime D. D. & compater, quem cum uxore sua & liberis etiam mea cum suis reverenter & amanter salutar. Quid lator? an & illum commendabo? Non opus est, cum propter virtutes suas tibi ut satis commendatus. Bene vale amicorum probatissime. Datæ Græcii, 7. Novembris st. v. an. 1592. qui dies septimus est ætatis meæ supra 63. annos. Salutem D. D. Pastori assigno, cui quod scribere nequiverim, excusati cupio. D. Paulum à Danhausen, D. Burgravium & reliquos proceres demissa voluntate saluto.

*T. Clavitate*

*Observanter colens*

Jeremias Hombergerus, D.

XX.

*Gratiam & pacem à DEO, patre nostro cœlesti, per unigenitum filium ejus Dominum & Servatorem nostrum Jesum Christum, Reverende & clarissime D. Doctor & Compater honorande.*

Cum omni tempore acceptissimæ mihi tuæ sint literæ, tum in hoc ancipiti mea fortuna, etiam propter consilium, quo nunc maxime opus habeo, necessitate mihi

mihi & maximè exoptatæ sunt. Doleo Mannum Manni, id est, constantis viri officium negligere. Dedi ei prolixè scriptas ad te literas, dederam & ad D. Pastorem, quibus ei responderam ad literas, quas Ratisponam ad me miserat: gaudebat ad vos, roscisci, spe adipiscendi conditionem Ecclesiasticam, quam hic frustra quæsierat. Pollicebatur sanctè, se literas utrique fideliter redditurum. Cum discisset, Dominus Venetus mihi indicabat, donatos illi è scolastico ærario esse duodecim florenos, ne profus frustra suam operam obtulisset, & haberet viaticum aliò ad explorandam fortunam suam se commodius deportandi. Ex habitu & vultu non iudicassem mali quid de ipso. Sed fructus, non folia probant arboris qualitatem. Utinam dum hic tabellarius in via est, ad vos appelleret, & cum suæ conscientiæ ac famæ, tum nostris votis consulere. Tædet me repetere tum scripta, ne vulnera nondum bene sanata refricem, & præsentem solitudinem amariorem reddam. Paulò enim postea quàm tibi per Cantorem Carniolanum scripseram, lætum afferebat mihi nuncium D. D. Venetus, conclusum esse, ut propediem suppellectilem meam huc Vienna transportari curarem, & superiorem partem hujus domus, quam aliquamdiu Christophorus Praunfalckius, præsidis officio fungens, inhabitavit, occuparem, paulòque post publicas lectiones proponere inciperem. De sumptibus ad hæc necessariis jam esse prospectum. Jubebat igitur continuò scribere me ad amicos, ut mihi suppellectilem mitterent. Ego impigrè obtemperabam. Elapsis deinde diebus circiter quindecim idem Evangelista ad me venit, attonitus, incommodum se nuncium ferre dictitans. Principem enim D. Ernestum comperisse meam præsentiam, eamque inclementissimè ferre, postquam è suis cognovisset, quanta cum severitate ab illustri memoriæ D. Carolo proscripserat, ne unquam in has terras redirem, interessè hæredis pupilli, & totius domus Austriacæ, nequid talibus decretis derogetur, misisse propterea provinciæ Capitaneum ad D. Ordinarios sciscitatum ex illis, an ipse me revocavit, an verò mea sponte redierim: jussit igitur, (jussit, ut quidem præ se tulit, Ordinarium) ut continuò ad amicos Viennenses prioribus contrarias literas scriberem, quò diutius ibi suppellex librorum meorum & aliarum rerum custodiat, donec Domini consilium inveniant, quo nata ista turba compefcatur. Jussit me etiam ita latere in hoc angusto conclavi, ne quisquam me adhuc esse Græcii, ad aulam perferre possit. Hic iterum opus fuit obsequentia. Quo enim me conferam, omni libertate hoc quidem tempore, amissa, ut infirmitatem & senectutem taceam? Destitutus sum libris, vestibus, omni utensilium copia. Nisi gener Trauttius subveniret, multò miserius hyemali hoc tempore viveremus. Calendis Novembris st. v. complevi, DEI gratia, Climastericum ætatis meæ, annum 63. incepti 64. Ærum, profus sanè hic mihi annus futurus est, postquam tale principium habuit: Licet forsan radix amara, dulcem proferet fructum, quod

quod in more apud DEUM positum est, cui me totum trado & committo. Certe si Ordinarii me in hac nova tempestate desererent, negantes se me revocasse, in maximo forem periculo. Dum hæc scribo intervenit D. D. Venetus, iterum, inquit, tristis nuncius venio. Jesuitæ explorant omnia. Fuerunt apud Compactores librorum, ibi invenerunt aliquot exemplaria tuorum librorum & tria aut plura etiam tui libri de Justificatione, quæ Amici compingenda dederant. Statim cum uno & altero exemplo in arcem devolantes Duci Ernesto monstraverunt & atrocissima te accusatione deformatunt, quod huc veneris tantum, ut commodius libros tuos diffunderes in hujus provinciæ homines, & ita, quod concione publica non liceret, sparsis libris & chartis, clandestinisque colloquiis efficias. Mandant igitur Ordinarii, ne ullum deinceps librum vel ipsis vel aliis patronis aut amicis mittas, neque etiam compingendum tradas. Nihil tibi tutum est. Jesuitæ omnes rimas perscrutantur, ut te extirpare possint. Quid ergo spei est, inquam, an D. Ordinarii me deserent. Non, inquit, sed si, omnibus tentatis, placare principem nequiverint, curabunt te clam abducendum in locum, ubi tutus esse possis. Quid si vires, inquam, non suffecerint? senex infirmus, media hyeme peregrinabitur? Spes nos conservet, ait, non oportet nos animum abjicere, quo dicto discedit. Ego & hæc literis his inscripsi. Rectè improbas *ἑρμῶν βολῶν* nostratium. Antea omnia exactè deliberata & constituta oportuit, nec me, incerta fortuna, tanto studio per subornatos huc retrahere. Sed nunc mutatio dexteræ excelsi expectanda est. Molestiam, quæ te vexat, cariss. D. Compater, longè abesse vellem. Verum tamen salutarem tibi fore spero, in me expertus. Cum enim ante annos 7. eadem molestia, Ratisponam proventus laborarem, exacta hyeme, multò quam antea mitiorem podagram experiebar. Intra viscera affici, periculosum, in cute vexari, signum fortioris naturæ, expellenti à visceribus inimicos humores est. De mutatione meliori in Saxonia instituta, cum Ratisponæ essem, aliquid, dum hic delitui, nihil audivi. Et ago tibi gratias, quod mihi de mutatione Hassiazarum Ecclesiarum & Palatinarum aliquid significasti. Nihil tale ad me hætenus scriptum aut nuociatum est. Quid mirum, si ita in hoc ergastulo latendum fuerit, nullo unquam hominem externo, præter Doctorem Venetum apud me comparente, à quo uno pendere me oportet. Denuò illum monui de libris ad vos mittendis. Dixit, se operam daturum, ut fiat. Utinam faciat. Ego pro hoc tempore servus servorum sum & cerrè mendicus, in hanc angustiam redactus. Occasiones præclaræ essent: Sed scis, omnia in manu DEI esse posita. Si quid conarer vel in Saxoniam vel aliò scribere, cum mihi per totam Germaniam sint noti & amici, conscientia me morderet, quod fortasse conarer DEO displicentia. Mirabili modo huc revocatus, veni. Expectandus est exitus. DEUS me, non decipiet, etiam si forsan patietur, quid moliti sint, qui vel adversantur apertè, vel obliquis

liquis viis incedunt astutè. Te rectè valere omni tempore volo, cui & proximè oblata occasione plura, si potero, scribam, jam defatigatus, & ex latere dolens (quæ molestia & lecti fomenta exigit) abrupto currentem calamum, quod ad te scribens, vix possum. DEUS te cum omni familia tua ad annos Mathusalemi conservet. Mea cum suis vos omnes salutat. Data Græcii, 28. Novembris, anno 92. st. v.

Doctiss. Domine Compater, quidam ex D. Ecclesiasticis Adami nomen habens, per Tabellarium me salutavit. Cum mihi ignotus sit, rogo, ut ei meo nomine gratias agas, & resalutes eum. Reliquis item Collegis, & maxime D. Paltori S. dico, pacis causa multa nos dissimulare & patientia vincere nosti.

T. E.

*Sincerè & suo merito colens*

Jeremias Hombergerus, D.

## XXI.

ANnum scelicem tibi tuisq; opto & hunc ingredientem, & plurimos sequentes, omni sclicitate florentes, Reverende & clarissime Domine D. Compater honorande. Etsi ante dies octo tibi scripserim, nec interea mutatio mei status facta sit, aliudve seripione dignum incidit, tamen cum hic Jenensis tabellarius, qui mihi tantum à studioso quodam literas attulit, se ad te iter habere diceret, & tibi commoditas sine literulis dimittere, ut & ipse adeundi te occasionem haberet, & tibi commoditas in Saxoniam scribendi daretur. Scribit mihi studiosus, Polycarpum in pristinum suum locum Wittebergam reversum esse. Ibidem nunc profiteri, & D. Samuelem Huberum cum Hunnio. Successores, qui utriusque facti sint, non addit. Mylium dicit Jenæ cum magna laude & fructu docere. De te multa cogito, & doleo, quòd præcipua dona tua in pulvere isto scholastico sepeliuntur. Debebant & Styri & Carinthi donis DEI cum majore usura uti. Sed furdus frustra canitur. Dolet mihi, si hæ regiones optimos doctores amiserint, & tamen haud minus dolendum est, alièna negligentia impediri fructum, quem alii capere ex talibus DEI arboribus possent. Certè non nisi ad multiplicem usuram dedit suis servis talenta Christus. Sed is nobis consulat, jam ei cum omnibus tuis commissus bene vale. Datum 27. die Decembris vel 5. Januarii, anno 1592. vel 1593.

T. R. D.

*observanter colens*

Jeremias Hombergerus.

Z z z z

XXII.

**Q**uod præsentem ad te tabellarium, clariss. & chariss. Dn. affinis, mitto, ex præcipuè sit causa, quod magno cum Ecclesie, & Scholæ nostræ luctu Doctorem Erasimum amisimus.

Is enim cum aliquot septimanis minus benè haberet, nunquam tamen decumberet, 19. Februarii mane circa tertiam horam, placidè sine ullo mortis sensu diem suum obiit.

Vocavi tum ad me statim Doctorem Pappum: & illo præsentem, quæ videbantur amovenda, amovi, custodienda custodivi, & illi claves dedi. Funus illi 21. Febr. magna cum frequentia professorum, studiosorum & civium celebratum fuit. Scio hanc mortem tibi non minorem, ac mihi luctum allaturam, ut qui charissimo fratre & affine, magno nostro cum damno, orbari sumus. Sed moderatè ferendum est, quod mutari non potest. Cum autem jam de hæreditate delata in commune nobis agendum sit, rectè feceris, si quamprimum fieri potest, ad nos veneris. Scripsi hac quæ de re Wormatiam, & tutorib. liberorum fratris & affinis nostri piè defuncti, Ulrichi, idem significavi. Non enim existimo, alios à nobis vocari posse, quia hi tutores legitime sunt constituti, & quia removeri vel præteriri non possunt, nisi graves & insignes suspicionis, vel malè administratæ tutelæ causæ adversus illos probari possint. Et propterea hoc iccirco tibi significo, ne forte alii tutores vel constituantur, vel constituti ad nos veniant. Postea inter nos de his & aliis agemus, quid faciendum sit.

Ad hanc causam jam accessit altera, ob quam tibi scribendum fuit. Nam quia Domino ita placuit Doctorem Erasimum ex hac ærumnosa in Cælestem vitam evocare, inde factum est, ut in illius locum in Academia alius Theologiæ Professor sit surrogandus.

Ego rogatus à Dn. Rectore, Decano, Visitatoribus & conventu Ecclesiastico, nuncium præsentem non statim ad te misi, sed expectavi, donec illi cum Scholarchis egissent.

Omnes autem Scholarchæ, Professores, ministri Ecclesiæ, plurimi in Senatu optimi viri, plurimi quoq; cives nullum alium, quam te, in locum Doctoris Erasmi substitui cupiunt: sicut id ex literis Academiæ & conventus Ecclesiastici abundè potest intelligere.

Si jam me consulis, quid tibi faciendum sit, paucis dicam. Conditio, quæ offertur, honestissima est, & in eo loco tibi offertur, ubi natus & educatus es: Non est, ut multis explicem, quid patriæ quis debeat, & quantum quis patriæ obligatus sit. Ipse enim hæc intelligis. Hoc tantum addo: Si quis patriæ præ reliquis inservire tenetur, id vel tum præcipuè tenetur, si gloria DEI id exigit. Tu scis, quid Calvinistæ hic moliantur? quas sæpe turbas excitent? Et propterea, cum per hanc vocationem legitimam in patria nostra gloriam DEI multis modis promovere possis, satis

cogno-

cognoscis, nullam tibi recusandi causam superesse. Nihil adjicio de celebritate loci de plurimis amicis, quos hic habes, nihil quoque de rebus nostris privatis, quæ a nobis mutuo & præfenti consilio sunt administrandæ. Scio enim unicam illam causam, de qua jam dixi, sufficere. Nec est, quod existimes, te hanc conditionem cum detrimento rei familiaris suscepturum. Vacant enim jam tres Canonicatus, & quidem intra omnes Canonicatus optimus, quem Sopherus olim possedit. Tu saltem vide, ut DEO vocanti obtemperes, nec de salario sis sollicitus. Tale tibi constitutum, quale nullus Theologus unquam habuit. Itaque te etiam atq; etiam oro, ut propter Ecclesiam & Academiam nostram, propter amicos & propter liberos tuos, qui hic longè melius, ac alibi educari possunt, ita res tuas instituas, & eo animo ad nos quamprimum venias, quod hic in posterum vivere cupias.

Bellum apud nos desuit: & pax est constituta. Nos ex præterito bello didicimus, quantum bonum sit pax. Et iccirco impostertum majori studio pacem retinebimus.

Quis status sit Ecclesiæ & Academiæ, ex literis Doctoris Pappi & Conventus Ecclesiastici percipies.

Hæc per præsentem significare volui: Tu fac, ut prima quaque occasione huc te conferas: sed diem mihi prius significa: ut idem tutoribus Wormatiensibus significari possit, quàmvis forte id melius per præsentem tabellarium in reditu indicari queat. S. 13. Febr. Anno 93. Argentor.

Mitto tibi hic thalerum, quo in præterito bello magistratus in solutione stipendiorum usus est: dabis eum filiolo juniori strenæ loco.

Tibi

Addictiss. Affinis

G. Obrechtus.

## XXIII.

*Salutem in Christo. Reverende & Clarissime Dn. Doctor, amice & Compater honorande.*  
**B**inas tuas literas, 18. Martii, & 11. Aprilis scriptas, una & ab uno eodemque Tabellario hac hora, qua hæc scribo, accepi, una cum scripto tuo Antipezeliano: pro cujus communicatione maximas tibi ago gratias, teque hortor, imò per Christum rogo & obtestor, ut vel tandem Neostadianæ Admonitionis refutationem, tempore hoc oportunitissimo, quo juxta Doctoris Giphanii querelam Calvinistis in Palatinatu, etiam Electorali, interitus imminet, & utilissimam, & maximè necessariam absolvas, & in lucem edas. Condoleo au-

Zzzz 2

tema

tem tibi, charissime mi Domine Compater, propter fratris tui, tibi olim charissimi & suavissimi, Dn. D. Erasmi, viri reverendi & clarissimi, p. m. immaturum obitum. Sed beati, qui, præsertim hoc turbulento tempore, (quo periculorum & malorum plena sunt omnia) in Domino moriuntur. Non amisisti, sed præmisisti illum, quem aliquando triumphans in aeternæ vitæ gaudio videbis denuo. Lutuofus & mihi (ut nosti) præsens est annus. Sed quid in vanum & impiè voluntati divinæ, quæ longè omnium optima est, obstreperemus? Quin potius in nobis quoque illa fiat, Amen.

Utinam nova Kriegeriana, quæ mihi communicasti, certiora essent & veriora, quàm illa, quibus animum utriusque nostrum superiori anno frustra exhilaravit. Spero tamen ipse quoque, rem hanc, de qua à M. Kriegero scribitur, non planè de nihilo esse. Proximè enim elapso mense Februarii Pastor Ecclesiæ Calvinis in Ducatu Wirtembergico, focer D. Pappii nostri, huius genero nimirum suo, scripsit, Jacobum Büchsensteinium illum, civem & Senatorem Heydelbergensem, virum optimum & integerrimum, religioni nostræ addictissimum, tibi haud dubiè non minus quam mihi notissimum, sibi ea ipsa die, qua literas ad Papium nostrum dedit, Calvæ, quæ patria est Büchsensteinii retulisse, certos quosdam, & quidem primarios Ludovici illius Pii Illustr. Electoris p. m. olim consiliarios, utpote Magistrum magnum curiæ, generosum Dominum Fridericum liberum Baronem in Limburg, &c. item nobilissimum virum Dominum Joannem Philippum ab Helmstad, olim Marcellum Electoralem, nec non Julium illum nostrum Micellam, J. U. D. olim Cancellarium Electoralem, à Juniore Electore Friderico, Heydelbergam, paucis antediebus, quàm prædictus Büchsensteinus Heydelbergam Calvam profectus fuerat, vocatos esse. Adjunxit & hoc Büchsensteinus in sua relatione, se ante discessum suum oculis suis Dominum Joannem Philippum Helmstadium Heydelbergæ vidisse, reliquorum verò duorum adventum ab ipso Electore, & civibus Heydelbergensibus, magno cum desiderio expectatum esse. Hæc verissima esse, non dubito: idque propter huius rumoris authorem, hominem, fide dignissimum, & virum consularem. Hæc cum ita certo sint, reliqua quoque Kriegeriana nova (quia conjuncta sunt) eò veriora & certiora esse judico. Omnino itaque spero, brevi & te in Schola, & me in Ecclesiâ Heidelbergæ docturos. Quod si factum fuerit, cum Simeone dicam: Nunc dimittis servum tuum Domine in pace, quia, &c. Sed fiat Domini voluntas.

De reformatione nostra proximè quædam tibi scripsi: nunc reliqua per texam. Cum dimissionem Papius noster jam accepisset, Dominus Wagen Pragæ abiit, nescio quando reversurus: Dominus Ammannius verò subito in lethalem, Ungaricum nimirum, morbum incidit, in quo, præter meam & omnium aliorum expectationem, meam operam in cœnâ Dominicæ sumptionis,

prione, & consolando, expetiit, & facile etiam impetravit. Medici quidem nostri omnem de ipsius vita spem abjecerant, sed DEI beneficio convaluit iterum. Quid sit? Absente Domino Wagen, & Domino Ammonio cum morbo gravissime colluctante, Papiro autem nostro abutum parante, Dominus præses nostræ Provinciæ, & Domini ordinarii, à quibusdam proceribus, & aliis bonis viris indignam nostri Papii sortem moleste ferentibus, de toto negotio melius informati, de retinendo Rectore nostro cogitant, & mihi simulac Dn. D. Veneto; & Dn. D. Gabelhoveio, per decretum mandant, ut intercedamus, & quàm diligentissimè cum Papiro nostro agamus, ut diutius in schola nostra maneat, amotis omnibus remoris, quæ molestæ ipsi hæctenus fuerunt. Fecimus nos quidem hac in parte, quod & debuimus, & potuimus, polliciti Papiro nostro, Dominorum Provincialium nomine, omnem Dominorum gratiam & benevolentiam, sed impetrare nihil apud eum tum temporis potuimus. Re deliberata, literas prolixas ad Dominum Præsidentem, & Dominos Ordinarios dedimus; quibus Papii nostri honorem contra Gabelmannum vindicavimus, innocentiam demonstravimus, & declaravimus, quæ hæctenus contra Papium sint Inspectorum nomine acta, nobis tribus insciis & inconsultis acta esse omnia, quæ perniciem scholæ nostræ sint allatura; nos itaque omnino suadere, ut clementius Domini ad Rectorem adornent scriptum, ipsiusque animum planè offensum, hac ratione mitigent, omnem benevolentiam, si diutius in schola nostra maneat, ipsi pollicentes. Lectis nostris literis, paulo post liberalissimè & benignissimè illi scribunt, causam prioris deterioris scripti, nescio in quem, rejicientes, & optima quæque, si mansurus sit, pollicentes. Metum quoque illi omnem de Gabelmanno, in scripto illo suo, eximunt, dum promittunt ei, fore, ut posthac Gabelmannus nullum prorsus negotium in Restoratu, & Scholæ gubernatione, ipsi sit facturum. Petunt quoque simul in scripto illo suo à Rectore, ut quâncumque velit, ipse in Senatu Dominorum Ordinariorum, qui benignissimè ipsum in Resolutione sua sint audituri, appareat, &c. Quamvis autem Papius noster ad hoc Dominorum scriptum nihil adhuc responderit, (hæctenus enim Domini Præsidentis nostræ Provinciæ adventum expectavit) animus tamen ipsius planè mitigatus & immutatus, & que inclinatus videtur, ut diutius nobiscum manere quàm abire malit. Et sic Tragediæ nostræ lætum exitum habes. Plura alias. Benè vale. Græ-  
 643, 26 Aprilis, Anno 1593.

T.

Wilhelmus Zimmerman, D.

ZZZZ 3

XXX.

*S. P. D. Reverende ac Clarissime Vir, Domine & amice colende.*

**M**agno omnium bonorum dolore, Academiae haud levi damno, ex hominibus abrepto, caelestemque revocato in patriam, Reverendo & Clarissimo Viro, D. Doctore ERASMO MARBACHIO, fratre tuo, literis hifce nostris & *supra* testatam nostram facere, & simul, de Amplissimorum D. D. Scholarcharum voluntate ac mandato, Tecum agere placuit, ut morte hujus vulnus altum rei nostrae literariae inflictum sanare, ejusdemque SS. in Theologia vacuam factam in te suscipere professionem digneris. Ita enim ab ineunte aetate ingenii tui nobis praestantia cognita, perspecta est eruditio, & cum scriptis, tum testimoniis ac judiciis aliorum commendatum est nomen, ut neminem hoc esse tempore arbitremur, qui te melius D. Fratri consumpto succedere, Sacroque Sanctae Theologiae facultati esse emolumento ornamentoque queat. De voluntate vero tua dubitare ferè religio nobis est, cum, quid patriae, quae te lucem hanc primo aspicientem excepit, quid Academiae nostrae, in qua artium ac disciplinarum, ut & docendi fundamenta jecisti, quid RR. atque Clarissimorum Virorum, DD. parentis & fratris memoriae, in quorum locum vocaris, quid sanguine junctis, qui tua praesentia nihil experunt exoptantque magis, quid amicis veteribus, quorum bene adhuc multi sunt in Ecclesia & Schola, quid denique vocationi legitimae, & quidem existimationi atque dignitati tuae convenienti, sit tribuendum, facile pro tua pietate, doctrina, prudentia intelligas. Ad Amplissimos DD. Scholarchas & nos quod attinet, ubi vel ex literis, vel coram de tua nobiscum vivendi voluntate certi quid cognitum exploratumque fuerit, non in stipendio solum constituendo, verum etiam rebus aliis omnia ea fient, quae ab hominibus tui nominis commodique amantibus ac studiosis, aut peti, aut expectari possunt. Idque re ipsa potius, quam verbis declarare ac praestare cupimus. Vale Vir Reverende ac Clarissime, & ne in respondendo mora aliqua longior injiciatur, quantum quidem fieri potest, cura. Argentinae, V. Id. Martii, Anno recuperatae per CHRISTUM salutis, M. D. XCIII.

R. T.

*Studiose.*

Argentinenſis Academiae  
Rector, Decanus, & Viſitatores.

*Inſcriptio.*

Reverendo & Clarissimo Viro, pietate, doctrina, Virtute praestanti,  
D. Philippo Marbachio, SS. Theologia Doctore, Illustris ad  
Claudisforum Scholae Rectori Magnifico: Domine & amico nostro plurimum colendo.

XXV.

## XXV.

*Salut. in Servatore Christo Reverende & clarissime D.  
Doctor, amice & frater charissime.*

**E**tsi permagnum ex obitu reverendi & clarissimi viri, D. Doct. Erasmi, fratris tui p. m. dolorem animo, ut debuimus, concepimus, recreati tamen nonnihil, & in spem bonam iterum erecti sumus, posteaquam intelleximus, Nobiliss. & Ampliss. Scholarchas nostros, de te in pie defuncti fratris locum substituendo, serio cogitare: quod quidem ut facerent, nos etiam nonnihil admonendo & interpellando elaboravimus. Quamvis verò erga Ecclesiam & Academiam patriæ tuæ, ita animatum te esse nobis persuademus, ut quantum omnino possis, ejus causa facturus sis omnia, brevi tamen hoc Epistolio compellendum rogandumque putavimus, ut quod per te facturus esses, nostra etiam causa faceres libentius. Præclarissime de Ecclesia hac & Schola, ut & de multis aliis meritis est piæ recordationis parens, & tuus & noster, ejusque nomen non cum ipso intercidit, quod hostibus & obrectatoribus ejus videmus evenisse, sed adhuc non modò apud pios & bonos, quibus vivens etiam gratus acceptusque fuit, grata cum recordatione conservatur, sed inimicis etiam ejus, si qui adhuc supersunt, terrori est & formidini. Verè enim in ipso impletum est, quod Syracides alicubi ait: Non est mortuus, quia similem sibi reliquit post se: qui scilicet & vindicare posset paternum nomen atque confessionem adversus hostes, & amicis etiam exemplo paterno benefacere. Talis cum fuerit defuncto patre Doctor Erasmus p. m. & nunc ipse quoque, DOMINO ita volente, rebus humanis sit exemptus, ad te animos oculosque suos nostra convertit Academia, & quod aliquotante annis in patre, nunc in fratre amisit, id totum à te requirit. Speramus itaque, te haud gravatè id, quod petimus, concessurum nobis esse, atque ut id facias, majorem in modum à te petimus. Etsi verò non ignoramus, rationes esse aliquas, neque eas planè contemnendas, quæ te ista in statione, in qua nunc es, retinere possent, tamen alias & quidem graviores causas esse arbitramur, quæ te, ut noster esse velis, commoneant & commoveant. Diceremus aliquid de Stipendio, si id tibi præcipuum esse putaremus: sed quia à *philippo vego* te esse scimus, & quia Dom. Scholarchæ liberaliter se tecum acturos esse promiserunt; speramus eas tibi pro nostræ quidem Reip. & Academix modo conditiones oblatum iri, quæ possint recipi. Existimamus etiam in isto vestræ regionis periculo, quod à quotidianis Turcarum incursionibus nunquam non imminet, faciliùs honestissimam matronam, conjugem tuam in hanc migrationem consensuram. Quod verò caput est & cardo totius negotii, non, ut opinamur, negabis, aliquanto plurium studiis nostra in Academia, quam in illo Gymnasio te posse prodesse. Cum igitur sine dubio insignia illa dona, quæ à DOMINO accepisti, maximo cum scenore illi cupias aliquando restituere,

non

non negliges occasionem hanc, quæ in ipsa patria tua, & inter veteres tuique studio-  
fissimos amicos ultrò tibi offertur. Scriberemus plura in hanc sententiam, nisi inju-  
ria prope affici te à nobis vereremur, si de tua voluntate vehementius dubitaremur.  
Benè in Christo Servatore, vir reverende & clarissime, vales, Argentorato, 5. Idus  
Martias, ann. Christi Servatoris, 1593.

Rev. 1144

studiofissimi,

Præses, &amp; Pastores Ecclesiæ Argentinensis.

Joh. Pappus, D.

Johannes Faber, pastor ad  
St. Thomam.Joannes Liptizius, pastor  
ad S. Petrum Juniorem.& suo, & reliquorum fratrum nomine atque  
mandato.

XXVI.

*Salutem in Servatore Christo, Reverende & clarissime**Domine Doctor, Domine, amice & frater plurimum colende.*

**M**agnum quidem vulnus Ecclesia & Academia nostra morte reverendi  
& de omnibus nobis optimè meriti viri, Superintendentis & Præceptoris  
nostri, Dn. Doct. Johannis Marbachii, parentis tui, acceperat. Verùm  
quamdiu filium ejus, fratrem tuum, Doct. Erasmus p. memoriæ, penes nos  
habebamus, non omninò mortuus pater, sed in ipso adhuc filio superesse nobis  
videbatur. Nunc autem isthoc etiam in cœlestem Academiam translato, vul-  
neris illius magnitudinem, nostramque orbitatem magis magisque sentimus.  
Quo magis enitendum nobis est, ut damnum hoc primò quoque tempore sar-  
ciamus, talemque successorem deligamus, qui Antecessorum vestigiis insistere,  
præclarumque eorum cursum possit perficere. Circumspicientibus autem  
nobis undiquaque, nemo apparet, qui vel facere id rectius possit, vel à nobis  
magis debeat optari, quam tu solus. Ut enim ea doctrinæ & virtutis subsi-  
dia nunc omittam, quæ à Patre accepta, cum fratre habebas communia, ita ut  
alter-

alteruter totum nobis patrem exhiberet & repræsentaret: cui quæso, quam & patri & fratri malle debes succedere? aut quem nos in eorum locum, te præterito, nisi ingratiſſimi esse velimus, possemus cooptare? Quod igitur tota Academia te orat, quod Conventus etiam noster Ecclesiasticus maximopere à te contendit, id ut facias, & te nobis concedas atque transcribas, ego quoque majorem in modum rogo. Ad me quod attinet, recipio tibi atque confitimo, talem me per DOMINI gratiam erga te futurum, ut in fide, observantia, officisque cæteris nihil possis desiderare, quod ab amicissimo Collega, tuique studiosissimo debeat expectari. Idem tibi de Mag. Elia Schadao etiam polliceris, & de D. Johanne Fabro seniore: cujus tamen ita nunc afflicta valetudo est per integrum ferme annum, ut in Ecclesia perrardò, in Schola nunquam docuerit. Filius ejus Lic. Johannes ipse quoque se exercet, & ut spero, non minus tui, quam mei erit observans, verùm in numerum Professorum nondum est receptus, *καὶ δέδοται ἐπιγυμνασιαὶ παρρησίας, τὰλλα δὲ οὐκ ἀποείρας ἔχων καὶ τῆς θεολογίας, καὶ τῆς ἱστορίας παιδείας.*

De pace nostra, rebusque aliis arbitror ad te diligentissimè scribere reverendum D. Præpositum nostrum, Doct. Georgium Obrechtum, affinem: cujus vel solius erga te humanitas atque benevolentia, attrahere te ad nos debebat. Salutem officiosiss. honestiss. tuæ conjugii mea ascribit, & ipsa quoque omnia ei studia, veramque benevolentiam offert, si nobiscum voler vivere, & ad nos commigrare. Benè in CHRISTO Servatore, vir reverende & clariss. vale, Argentorato, 5. Id. Martias, 1593.

*Tuus in DOMINO frater*

Joh. Pappus, D.



XXVII.

*Sal. in Servatore Christo, Reverende & Clarissime D. Doctor, Domine, amice & frater plurimum colende.*

SCRIBO hæc accinctus itineri necessàrio in patriam, ex quo ante Pentecosten vix sum domum reverſurus; quod quidem præſandum duxi, ut brevitatem & inconcionnitatem epistolæ excussem. Quòd autem tot difficultatibus, quæ mutationem officii pariter & loci, & iter tam longinquum, propè necessàriò consequuntur, amorem patriæ, & Academiæ nostræ atque Ecclesiæ anteponis, in eo & piè & laudabiliter te facere planè existimo, maximasque hoc nomine tibi gratias ago. Dabo etiam operam, quibuscunque poterò, officiis, ut ne hujus te consilii unquam possit penitere.

A a a a

tere.

tere. Postulata tua, de certa & officii & beneficii assignatione, deque sumtilus itineris, æquitatis plenissima omnibus nobis visa sunt; itaq; ad Dom. Scholarchas de illis quàm diligentissime, Magnificus Dom. Rector, Visitatores & delecti Collegio Pastorum referent, cumprimum Dom. Cancellarius Kettenheimius (id quod intra paucos dies fiet) domum redierit, dabiturq; opera, ut responsum Dom. Scholarcharum quamprimum accipias. Quod igitur superest, majorem in modum te oro, ut quia non iniquas condiciones tibi oblatum iri spero, non modò eas libenter accipias, verùm etiam itineri quamprimum te tradas. DEUM ego Opt. Max. simplex precor, ut tibi cum universa familia ad nos profecturo, custodes addat Sanctos Angelos, & vos salvos & incolumes ad nos perducatur, Amen.

De cæteris rebus, reliqui Dom. Collegæ, explorata Dom. Scholarcharum voluntate, scribent accuratius & copiosius. Ego, quia iter meum in aliud tempus differre non poteram, quibus conditionibus tecum mihi videretur agendum esse, non modò reliquis duobus Scholarchis coràm exposui, sed etiam ad absentem Kettenheimium scripsi. Benè in Christo Servatore, vir clarissime & reverende, cum omnibus tuis vale, Argentorato, 7. Maji, 1593.

*Rev. Dign. tue*

*R. d. d. d. d.*

Joh. Pappus, D.



XXIIX.

**L**ator harum literarum, civis noster, clariss. D. affinis, 2. Maji ad nos reversus est, sed cum Kettenheimius primus Scholarcha peregrinè abfuit. Reliqui duo, absente Kettenheimio, nihil nobiscum tractare vel agere voluerunt, prohibentibus id Scholarchatus officii legibus, ut dicebant.

Ex quo coacti sumus non sine dolore Kettenheimii adventum in tertiam usque septimanam expectare.

Hic verò ubi rediit, mox cum Scholarchis actum est.

De officio statim inter nos convenit, de quo in literis Academiæ; at de beneficio plura nobis verba fuerunt facienda. Nos petimus Canonicatum Sepheri, cujus collatio penes ipsos est, & simul adhuc singulis annis additionem. Canonicatum facile obtinuimus, at difficilium additionem, quia res est novi exempli. Impetravimus tamen pro additione singulis annis 150. florenos. Canonicatus fructus percipies a nostro Capitulo, at Scholarchæ 150. florenos singulis annis solvent.

Mittø

Mitto designationem redituum Canoniciatus, ut videas, quò usque illius utilitas extendatur.

Sumptuum itineris petitionem in genere proposuimus; at à genere Scholarchæ venerunt ad speciem, & tandem pro iis ducentos florenos promiserunt.

Domum seu curiam habebis ratione Canoniciatus, quæ tibi jam assignata est. Nihil amplius restat, quam ut quamprimum te itineri committas, & ad nos cum tuis venias. Deus Opr. Maxim. te cum tuis salvum & incolumem ad nos deducat.

Accipies hic aliquot epistolas à sœminis aliquot ad uxorem tuam scriptas, ut videat, se hic quoque amicas reperituram. Mea sanè uxor cum desiderio vos omnes expectat.

In itinere vellem te Isnam proficisci, & apud cognatam Catharinam divertere. Scis absque dubio, quid à patre nostro cum duabus suæ uxoris fororibus transactum sit, & quod mater nostra tantum mille acceperit florenos, & reliqua fororibus reliquerit. Nos quidem habemus transactionis tabulas, at planè ignoramus, quid quantumve adhuc superstes Catharina possideat. Nullum habemus bonorum inventarium. Doctor Erasmus, piæ memoriæ, omninò sibi proposuerat Isnam proficisci, & occultè indagare & inquirere, quomodo hæc se haberent? Sed morte præventus est. Tu quæso vide, an arte aliqua hæc cognoscere possis. Opus tamen erit, ut id fiat insciis Ulrico Weislandio, Samule Eberzio & aliis. Hi enim mihi valde suspecti sunt. At intelligenti satis scriptum.

Reliqua ex scheda adjecta cognoscet. Res nostræ in veteri sunt statu. Spiræ legati Principum seriò causam nostram tractant, sed parum adhuc inter se conveniunt. Multi timent, ne res ad novum bellum deveniat, quod non metuo, sed spero, nos firmam pacem habituros, quod ut ratum sit, faxit DEUS. Non enim bellum amplius ferre possemus.

Doctor Pappus ante aliquot septimanas Lindavium abiit, nec tractationi interfuit, sed scripto sententiam suam compræhendit, & Scholarchis exhiberit curavit. Ipse ad te, uxor ejus ad uxorem tuam scripsit.

Quæ in literis ad Bittelbeunium scripsisti, diligenter curabimus. Divisio hereditatis in tuum adventum benè differri potest, nec ullis statutis urge-mur, ut citius omnia expediantur. Hisce vale. Salutaris à fratribus meis & omnibus amicis diligenter & officiose. Scrip. 29. Maji, Anno 93. Argentor.

*T. studiosiss. Affinis*

G. Obrecht.


*Reverende & Clarissime D. Doctor, amice observande.*

Quod ita R. T. in nos nostramque Academiam est animata praeclare, ut huic potius inservire, quam vel in Claudiforiana manere Schola illustri, vel alteri alicui suam addicere operam velit, longè nobis & gratissimum, & jucundissimum est: DEUM quoque OPT. MAX. in messem messores suos benignè clementerque mittentem, rogamus, ut institutum hoc, susceptam quoque cum uxore ac liberis ad nos profectionem fortunare dignetur. In eo praeterea toti & fuimus hactenus, & deinceps erimus, ne hujus R. T. mutationis ullo unquam tempore patireat. Quod ad officium attinet, de quo R. T. certior fieri à nobis cupit, erit illud idem, quod Reverendi D. Doctoris fratris, pia memoria, fuit. Quatuor, singulis septimanis, horæ Veteris Testamenti explicationi tribuentur, disputationes habebuntur, cum publicæ bis in anno, tum privatae toties in mense. Stipendium constituerunt Amplissimi DD. Scholarchæ Canonicatum omnium Thomano in Collegio optimum, cujus Sopherus possessor fuit; addant praeterea 150. florenos, & pro viatico 200. Est & Curia ac domus parata Canonicalis in D. Thomæ area & vicinia nostra. Itaque, quod felix faustumque sit, ad nos sui amantissimos R. T. iter maturabit, atque in id incumbet, ut citò sua frui praesentia, ac desiderium explere nostrum ingens queamus. Non in urbe, sed patria sua jam est Reverendus & Spectabilis D. Decanus, Doctor Pappus, qui aliàs iidem de rebus daturus ad R. T. literas fuisset. Nos hæc cum Amplissimorum DD. Scholarcharum, tum nostro nomine scribere volumus, responsuri R. T. citiùs, si per absentiam Nobiliss. Domini Cancellarii fieri illud potuisset. Itaque moram hanc in partem bonam R. T. accipiet, & ejusdem nos & jam esse, & fore perpetuò totos, certò confidet. Benè R. T. cum uxore totaque familia valeat. Argentinae, IV. Cal. Junii, M. D. XGIII.

R. T.

*stud. atq. observa.*

Rector, Decanus & Visitatores  
Academiae Argentinensis.



XXX.

Et si in ea ipse fuerim opinione, mihi extra patriam in Carinthia, quod reliquum est arumnosa vitæ, transigendum: singulari tamen divina factum est providentia, ut opti-

A. 1593.

ut optimo charissimoque fratre D. Erasmo, p. m. miseriis humanis erepto, non tantum singulari studio, publica quoque Dnn. Scholarcharum totiusq; Senatus Academi-  
mici auctoritate in patriam sim revocatus: sed etiam præter expectationem con-  
sensu & bona cum pace & gratia Illustr. Dominorum procerum redire ad meos, &  
patriæ in posterum opella mea tenui inservire mihi licuerit. Cujus etiam solius nu-  
minis divini beneficio acceptum refero, quod copiosa familia auctum, tam longin-  
quo difficultiq; itinere, dum per agrum Salisburgensem & Bavariam mihi proficiscen-  
dum, saluum & incolumen reduxit: & hæctenus laboribus & conatibus meis gratia  
sua benedixit, ut confidam illos studiis adolescentum fore salutaris. De qua mu-  
tatione vocationis constitueram quidem jam pridem te facere certiorum: Verum  
certa occasione destitutus, incertis laboribus meas committere nolui: ne in curiosorum  
inciderent manus: qui ex interceptis literis; calumniandi quærunt materiam.  
Cum autem hodie demum de occasione commoda me monuerit, qui tuas postridie  
Matthiæ exaratas mihi exhibuit, eam negligere nolui: reverenter orans, ne diu-  
turnum silentium meum, moleste feras: aliterve accipias & interpreteris. Et quia  
in primis desiderio te flagitare novi, cognoscendi statum Ecclesiæ, Academiæ, Rei-  
publ. nostræ: quantum per literarum brevitate licet, de singulis, quæ certiora  
arbitror, perscribam.

Quemadmodum vero ante annos 21. cum è patria, tua auctoritate tuoque bene-  
ficio in Styriam evocatus sum, eò promptiore & alacriore animo, paternas ædes de-  
serui, quod intestinis dissidiis Academiæ & Ecclesiæ in patria concuti animad-  
vertebam, quæ religioni veræ interitum minitari videbantur: ita æternas immor-  
tali DEO ago gratias, qui singulari beneficio tranquillitatem & pacem Ecclesiæ &  
Academiæ restituit: ut inter docentes in Ecclesia potissimum summus sit consensus,  
singularis animorum conjunctio, ac sincera benevolentia: quam ut in posterum  
quoque DEUS conservet, confirmet, propaget, toto pectore precor.

Et si autem pauci sunt quidam *iniqui* in mysteriis religionis nostræ: quia ta-  
men non tantum causa sed & numero & auctoritate sunt inferiores: suis sese con-  
tinent limitibus: & sacrum agunt silentium. In Academia superiori anno mense  
Augusto, Magnificus Rector Dominus Junius, cum ob adversam qua gravissime decu-  
buerat valetudinem tum ob varias modestias, quibus pene fuit obrutus & oppressus,  
officium suum, quo hæctenus est functus, ultrò & sua sponte resignavit: Quæ resigna-  
tio ea conditione à Senatu Acad. acceptata, & Magistratu urbis fuit approbata, ut  
hoc currente anno idem ei officium fuerit administrandum. Quod tamen onus in  
posterum commune erit multis: electioque futura in posterum annua. Dedit hæc  
mutatio officii occasionem, ut Senatus Academicus Magistratum Reipub. compella-  
ret: ut hæc comitiis Ratisponensibus ab Imperatore Romano plenum Jus Acade-  
micum, promovendi in superioribus facultatibus, peteret. Et vix id nostratibus per-  
suadere potuit: ita quidem ut paribus initio suffragiis negotium ad deliberandum

A a a a 3

ultra-


ulterius reiectum: tandem tamen plurium votis id fuerit conclusum. Quare legatis Reipubl. inter cætera capita etiam hoc in comitiis tractandum & conficiendum est demandatum.

Reipub. status est nonnihil perturbator: ob similitates & dissidia orta inter tredecim viros & quindecim viros: penes quos hæctenus multorum sententia summa fuit potestas & authoritas. Controverfia quæ sit, qua occasione orta, me latet: & parum tutum est de ea loqui, non tantum propter opiniones diversas: sed etiam quia status videtur esse diversus; aliud *dicunt*, alia *negant*. Est tamen iudicio illa ut audio subiecta scabinorum: qui aliquot mensibus hac in deliberatione jam sunt occupati: cuius quis futurus finis, & quam salutaris, ignoramus: Precamur autem DEUM, ut sit quam saluberrimus & Ecclesiæ & Reipub.

Ubi explicata & composita causa fuerit: aliquidque certi de ea exploratum habero, diligenter ad te perscribam singula.

Pezelii pagellas, quas refutationi opposuit meæ, & vidisse & legisse te opinor. Etsi autem facile Sophisticæ vanitatem deprehendat, qui cum refutatione mea confert: visum tamen est collegis meis necessarium: opponi modestam responsionem: quo ex ambiguitatum latebris in lucem, &c.

(à Philippo Marbachio, ad Chytræum,  
ut videtur, scripta.)



XXXI,

*Salutem in Domino Servatore nostro. Reverende & clarissime Domine Doctore, amice & frater in Christo plurimum honorande.*

**C**Lagenfurto unam, Argentina alteram, Nudius tertius tertiam abs te accepi Epistolam. Ad primam libro nondum accepto prolixè respondi, easque literas tabellario cuidam Augustano tradidi, cum mandato, ut illas ei reddat, à quo tuas accepisset. Quod ille se facturum fuit pollicitus. De nomine verò civis vel mercatoris illius, nescio qua incuria non fui sciscitatus, Argentina tuas ad Illustriss. Principem & ad me Julio mense attulit Christophorus Grübelius à Stokart. Obtuli nulla interposita mora & librum & epistolas Illustrissimo Principi, eidemque opus illud, qua potui, diligentia commendavi, nec non Domini parentis tui merita, E. Cels. jam ante cognita, in memoriam revocavi. Ille librum sereno vultu accepit, suoque nomine gratias agi, & honorarium viginti quinque florenorum prima occasione mitti iussit. Paulò post cum E. Cels. peregrè profectus fatis longo tempore domo abfui,

fui, nec ullum apud me fuit dubium, honorarium illud dudum tibi esse transmissum. Excusat moram illam diurnam ærarii ecclesiastici præfectus occasionum inopia. Quia verò jubes, ut si quid respondere vellem, literas Domino Doctori Weislandio Ulmam mittam, en habes Illustrissimi Principis rescriptum ante tres menses exaratum, cum exiguo munere, ex quo intelliges, Illustrissimo & Religionis orthodoxæ amantissimo Principi Dedicacionem illam gratam & acceptam fuisse. Quia in Præfatione polliceris Refutationem defensionis Neuladianæ, Apologiæ libri concordiæ oppositæ, oro te, ut illam primo quoque tempore absolutam in lucem emittas, facturus DEO rem gratam & Ecclesiæ utilem. Peto autem majorem in modum, ne moram illam propter causas prædictas ægrè feras, sed de me optima quæque tibi pollicearis. Amo enim & revereor R. T. Dig. propter præclaras animi dotes, eruditionem insignem, doctrinæ sinceritatem, & singularem in me benevolentiam, quam Heidelbergæ ante aliquot annos animadverti, nec non propter Domini parentis piæ memoriæ in me merita. Oro igitur, ut inter amicos aliquem mihi locum relinquant, meque brevi responso, an has acceperis, digneris. Vale in Domino feliciter. Neuburgi, 27. Octobris. 1593.

*Reverende tue dignitatæ*

*observantissimus*

Jacobus Heilbrunner, D.



XXXII.

*S. D. Reverende & clarissime vir, frater carissime.*

IN Catalogo librorum superioris mercatus, Oratio de Origine & causis Hæreseos, Argentina à te habita, indicatur. Inde, ex Turcarum vicinia te in patriam Academiam rediisse, conjectabam. Quod si ita est, non Academiæ solum illi, sed tibi etiam & omnibus nostris Ecclesiis, gratulor. Collegii Theologici in Wittebergensi Academia instaurati status pulcherrimus & florantissimus superiori anno fuit, qui nunc intestinis dissidiis fœdatur: sed amice componere ea Mediatores hoc mense studuerunt. Utinam non atrocius paulò post iterum erumpat. Apud nos mediocri DEI beneficio tranquillitas & concordia est, sed præcipuis Professoribus, qui Academiam hætenus illustrant, mortuis, vel aliò migrantibus, alii succedunt, nec meæ vitæ meta longè abesse potest, sic omnia nova fient in hac schola. Utinam melio-

ra. S.

ra. Sigismundus Poloniæ Rex, qui superiore autumno in Sueciam, ex portu Dantiscano trajecit, die 27. Januarii proximo, Rex Sueciæ coronatus est, à legato Pontificis Romani, Malaspina opinor, quem secum adduxerat Christianus IV. Daniæ Rex, octodecim annorum Adolefcens, sequenti ætate coronandus dicitur. Stiria & Carinthia Chorographias habeo: Si Croatia etiam, & Bosnenfis regionis tabulas habes, quæso, ut bona fide remissuro, commodes, & quot milliaribus Carolstad, à Græcia & Clagesurdo distet, & in qua regione sita sit, significes. Benè vale. Postridie Matthiæ. Anno 1594.

David Chytræus.



XXXIII.

*Sal. in Christo Servatore.*

**B**Inas tuas literas hesternæ die accepi, Reverende & Clarissime Domine Doctor, Amice & frater in Christo honorandè, quæ mihi pergratæ fuerunt, quod significarent, te jam *ἀναπίδομα* adornasse, ad putidas *φλυαρίας* turpissimi apostatæ Pezelii. Eas jam pridem non sine stomacho obiter duntaxat legi, & quod te perfecisse intelligo, fieri optavi. Nondum autem hic responsum tuum vidimus: quod ubi Scutgardia acceperimus, illud sine mora (volente Deo) in nostro Collegio, more veteri perlectum, typographo ut tradatur & prælo subjiciatur, curabo. Gruppenbachius, scio, difficilis est in polemicis excudendis, quod perfidia bibliopolarum, præsertim Saxoniorum pauca exemplaria in nudinis distrahantur: cum interim plura nostrorum scripta in istas regiones septentrional. spargi per literas expetant. Te autem pro veteri nostra conjunctione rogo & obsecro, ne cesses perfidissimum hunc apostatam eruditæ tuis scriptis persequi, ejusque diabolicas imposturas, quibus in aliis etiam scriptis lectori imponere studet, Ecclesiæ Christi patefacere, ut bestia illius pudendæ chartæ despectui sint omnibus. Bene vale, Reverende & clarissime Domine Doctor. Collegæ mei honorandi tibi plurimam salut. adscribunt. 4. Julii. Anno 74.

Clariss. virum, D. D. Pappum, reverenter salutati, & de responso ad meas literas Collegii nostri nomine moneri peto.

*T. in Domino frater*

Gerlachius, D.

XXXIV.

## XXXIV.

*Salutem in Christo Servatore plurimam.*

**E**X animo mihi gratulor, Reverende & clarissime Domine Doctor, amice & frater plurimum colende, quòd in eorum numerum, quos pro conjunctissimis & amicissimis habet T. R. me cooptatum vult. Equidem, ut mutuae necessitudinis ac familiaritatis contrahendae occasionem cupidissime amplector: ita nihil eorum, quae ad synceram animorum conjunctionem fovendam faciunt, me unquam neglecturum, sincera fide polliceor. Cur enim ea mihi displiceret familiaritas, quam & solidus in religione consensus, & haereditaria dilectionum nostrorum Parentum conjunctio mihi persuadere, imò verò imperare debet? cum ego is sim, qui R. T. amicitiam humiliter potius ambire, ac summo studio flagitare, quam oblatam acceptare debeam? Serio me ista scribere, tempus, si longiorem vitam mihi Dominus concesserit, abundè docebit.

Ad Antipezelianum alterum, à R. T. contra *tumultuariam* Goliathis illius *rhapsodiam* adornatum quod attinet, probè is mihi redditus est. Cumquè jam multas ejus pagellas perlegerim, nihil magis optarim, quam editionem Antapodomatis vestri citra omnem moram procurari posse. Verùm cum non nisi praescio Illustrissimo nostro Principe typis aliquid subjicere in hoc Ducatu liceat, Domini Principis sanè reditum ex Comitibus expectare omninò oportebit. Dabo a. operam, ut ejus celsitudo de hujus scripti utilitate & necessitate, quoad ejus fieri potest, citissime admoneatur.

Quod reliquum est, R. T. Dignitatem Omnipotentis tutelae ex intimis animi visceribus commendo, eamque cum meo, tum Collegarum nomine plurimum vicissim saluere jubeo. Dabantur Stutgardiae, 5. Julii, Anno 94.

In pignus contractae meae familiaritatis chartacea mitto munuscula, quae R. T. Dignitas aequi bonique facere dignetur.

R. T. Dignitatis

Studiofissimus

Andreas Osiander, D.



## XXXV.

**S.** Cum superioribus diebus, Reverende, Clarissimeque Doctor, amice & frater in Christo dilectissime, accepissem tuas, non solum elegantissime, verum etiam

Bbb bb

amicis-

amicissimè scriptas literas, non potui ita citò illis, etiam officio & amore me stimulan-  
te, respondere. Jam autem postquam diligenter negotia à te mihi demandata  
promovi & confeci, eoque etiam deduxi, ut Hubero & Episcopo, Inclyti nostri Se-  
natus beneficiariis, tuto apud vos sua studia contnuare liceret, hoc ipsum ad te per-  
scribere nunc placuit, ut in contracta jam olim amicitia constantem me permansu-  
rum, & in cæteris quoque rebus, quas ad tuam voluntatem pertinere intellexero,  
me hoc ipsum facturum, certo scias. Cæterum tuum responsum, quod chartis Pe-  
zeliani à te anno superiori Tubingæ editam, & quidem diligenter & maxima cum  
delectatione legi. Interim DEUM optimum Maximum oro, ut consilia actiones-  
que tuas cunctas Spiritu suo Sancto regat & gubernet, ut, quod summa hæcenus  
cum laude fecisti, magno animo te isti bestia grassanti opponere, *Phœnix* ipsius re-  
futare, religionem contra hostem istum veritatis sartam tectamque conservare, Ec-  
clesiæ Domini adjumento & ornamento esse possis. Ad me quod attinet, studium  
meum in omni genere officii sine ulla exceptione tibi deferò promptissimum paratiss-  
simumque. Siquidem judicaveris, Reverendum & Clarissimum Virum, Domi-  
num Johannem Pappum, Symmistam & Collegam tuum, simulates, quas contra  
me gerere, & non obscuris indiciiis significare hæcenus visus, vel potius suspiciones  
leviculas ex rumusculis incertis, aut malevolorum fermunculis ortas, oblivione se-  
peliisse, & à memoria evulsisse, eundem meo nomine salutabis officiosissime. Va-  
le, & quem semel benevolentia tua dignum judicasti, eundem & deinceps amare &  
fovere perge. Datum Ulmæ, 18. Julii, Anno 94.

*Tuus ex animo*

Johannes Wesenbeccius, D.

XXXVI.

**E**ie Gnad unsers HErrn und Hanlands Jesu Christi / zuvor / Ehrwürdiger /  
Hochachtlicher Herr Doctor; günstiger insonders lieber Herr und Freund.

Veischiene Wochen hab ich nit allein abermal von E. E. sondern auch von dem  
Herrn Gruppenbachio Typographo schreiben empfangen / welcher E. E. scriptum  
ihme zu schicken begehrt / da nit er könne anfangen drucken.

Hab Ichne in eandem sententiam, wie jüngsten E. E. geantwortet / man müße  
es zuvor bey meinem Gnäd. Fürsten und Herren anbringen.

Weil dan / Gott lob / Ihre Fürstl. Gnaden schon uff der widerreis / und uff nechst  
kommenden Sambstag allhier in Stuttgart / verhoffentlich mit Glück antommen solle:  
E

A. 1594.

So wird Doctor Andreas Pfander (weil ich heut verranfen / und ertliche Closter-schulsen visitiren / da ich ein Wochen zween nicht anheimisch seyn werde) bey den andern Consistorialibus die Sache urgiren, darmit an fürderlicher anbringung und resolution nichts versäumt werde. Hab E. E. ich jam itineri accinctus, zu freundlicher weiter antwort uff dero Schreiben nicht vergen wollen. Hiemit dieselb / der Gnaden Gottes befehlend. Datum Stuttgart, den 29. Julii / Anno 1594.

E. E.

Dienstgesthner

Johannes Magirus,



XXXVII

De Processione Spiritus Sancti à Patre & Filio,

Petrus Lombardus, libr. I. dist. XI, & XII,  
 Anselmus Cantuariensis, tom. 3. pag. 130.  
 Bessarion Cardinalis, tom. 3. Concil. pag. 483,  
 Raphael Volateranus, in vita Gregorii X. pag. 255, & Eugenii III, p. 358,  
 Andreas Hyperius, lib. I. Methodi Theologicæ, pag. 126.  
 Doct. Hunnius, tom. I, Disput. Marpurgensium, pag. 25.  
 Doct. Johannes Olearius, parte prima Disputationum, A 3.  
 Doct. Christophorus Pelargus, Decad. I. disp. 9. Oz.  
 Lambertus Danæus in lib. I, Petri Lamb. pag. 202, & 214.  
 Jeremias Patriarcha Constantinopol. in Actis Wirtebergicis, pag. 57,  
 200, 359. Et Wirtebergici Theologi, in iisdem Actis, pag. 159,  
 270, 312.

Si quos ex his Dn. frater desiderat, libenter mittam.

Magn. ma

studiose. Compater & frater

J. P. D.

XXXIX.

Bbb bb 2

*Salutem in Christo Jesu Unico Salvatore nostro. Reverende & clarissime  
Domine Doctor, frater in Domino colende.*

**D**edi præterita hyeme literas ad T. R. D. quas intelligo esse redditas: Sed ad eas nullum Responsum accepi.

Quis Ecclesiæ meæ domesticæ & publicæ sit status, proximè exposui. In his Comitibus status hujus Provinciæ Palatinæ libello supplice sua Gravamina Ecclesiastica (nimirum quod in multis locis Calvinianis concionatoribus gravantur) & Electori Palatino, & Evangelicis Electoribus ac Principibus, aut ipsorum Legatis proposuere; ad quod consecutum est, quod illi Electores & Principes scripserunt literas intercessorias ad Dn. Electorem Palatinum, ut suis subditis, liberum nostræ Religionis Exercitium concedat. Quid Eius Celsitudo sit responsura, tempus docebit. Doctor Urbanus Pierius, qui Wittenbergæ dimissus fuit, jam hic Generalem Superintendentem agit. D. Lic. Georgius Herder adhuc Cancellarium agit, ac sese in nostra Religione constantem, atque mihi amicissimum præbet. Ipsius uxor, matrona piissima, castissima & humanissima, ipso Pentecostes Festo piè in invocatione Christi obiit, cui in agone adfui.

Philippus Wunibald hæctenus hic Vicedominum egit: Is autem jam Heidelbergæ afflictæ valetudine laborare dicitur. Putatur ei successurus Baro de Dona, qui jam in Comitibus nomine D. Electoris feudum à Cæsare accepit.

Fuit nuper mecum quidam studiosus Clagenfurtensis, afferens literas à M. Mennone, in quibus valde T. R. D. abitum dolet, ac illos proceres modo intelligere scribit, quem Virum amiserint. Copiosus exercitus ex iis locis in Croatiam propter Turcas mittitur, sicut & in Ungariam, in qua Sina Buscha maximis copiis urbem Rab obsidere dicitur, fati certè nostræ Germaniæ vicinus. DEUS certè strenuis fidelibus precibus fatigandus, quo nostris contra hunc inanem hostem victoriam concedat. Mitto T. R. D. exemplum Orationis meæ ante annum hæc habitæ: insunt quædam errata, quæ ipsimet vestra industria facillè corrigetis.

Hæc per præsentium latorem, D. Kozmannum, cujus parens ante multos annos in præfenti officio meus Antecessor fuit, & hinc à Friderico Palatino est dimissus, in Marchionatum Brandenburgicum concessit, ubi etiam vitam clausit, scribere volui.

Valeat T. R. D. in Christo, ac meo nomine officiosè Reverendum & Clarissimum D. Doctorem Pappum ac ceteros Collegas saluret. Datum Ambergæ, 12. Augusti, Anno Domini, 1594.

T. R. D,

*Deditissimus*

Jacobus Schopperus, D.  
XXXIX.

## XXXIX.

*Salutem in Christo Servatore plurimam.*

**D**Olet mihi, & ex animo dolet, Reverende & clarissime vir, Domine, amice & frater exoptatissime, quod ne nunc quidem relaxato nuncio (de approbato Antapodomate &c.) exhilarare possim. Viderunt & legerunt id Domini Collegæ mei & ego. Commendavimus id Illustrissimo nostro de meliore nota. Ejus verò Celsitudo (ut est laboriosissima) ex *virtute* vult judicare, ac scriptum id (quod dudum prælo subjectum optarim) secum derinet adhuc. Fit enim in tanta negotiorum (quæ Celsitudinem ejus, ex Comitibus reversam cumulatim obruerunt) turba, ut de multis rebus tardius, quàm velit, statuere cogatur. Instabo autem rursus, idque, quoad in me erit, operam dabo unice, ut, si de approbatione constiterit, vel totum ad futuras nundinas prodeat antapadoma, vel certè principium ejus in proximè futuris nundinis conspiciatur.

Ad Præfationem & Dedicationem (cujus copias accepi) quod attinet, R. T. Dign. consilii sui justas & sufficientes habet rationes, cur nimirum Illustrissimo Duci Carolo Bipontino hunc ingenii & pietatis suæ factum inscribere voluerit. Ac erunt fortasse deinceps occasiones aliæ, quibus & NOSTER salutarî queat.

Quod reliquum est, R. T. D. cum familia honestissima, ac Reverendis Dominis Collegis prosperrimè agere exopto. Raptim Leobergâ, 20. Aug. Anno 94.

R. T. D.

amantissimus,

Andreas Osiander, D.



## XL.

**G**utes Gnad/ durch unsern Herrn und Hayland Christum / mit erpichtung unser freundlichen willigen Dienste zuvor / Ehrwürdiger / Hochgelehrter / günstiger lieber Herr und Freund. E. E. verruckter Tagen überschickte scriptum wider D. Christophorum Pesselium / haben wir / neben andern unsern vißfältigen Geschäften / abgelesen / und darauß E. E. Christlichen Eyser und Fleiß / die rheine Lehr erhalten zu helfen / und den adversariis zu widersprechen ic. zu gutter massen verspüret / wie wir uns auch solchen laborem unser theils gefallen lassen. Nachdem aber ohne unser Gnädigen Fürsten und Herrn zu Würtemberg / ic. gnädig vorwissen und consens / zu

Bbb bb 3

Zuwin

Zuwingen nicht dergleichen gedruckt werden solle/ haben wirs wie billich. In Fürstl. Gnaden unterthänig angebracht/ es ist aber von derselben (weil sie iezo etlich Tag nit allhie) kein resolution an idiger Bevolligung erfolgt/ Derwegen/ weil wir crachten/ E. E. thuntens vileicht noch vor der herzunahenden Wech/ zu Franckfurt oder anderer Orten/ sueglicher und fürderlicher als zu Zuwingen cracken lassen/ auch eben an heur der Vort/ so uns solch scripturn gelüfert/ wieder hiher kommen/ haben wirs E. E. bey ihme/ zu befürderung der Sach/ wiederumb übersenden wollen/ und seien E. E. wir zu angenehmen gefälligen Diensten jederzeit ganz willig und bereit/ uns alle in den gnedigen Schut und Schirm des Allmächtigen befehrend. Datum Stuttgart/ den 30. Augusti/ Anno 1594.

Fürstl. Württembergische Theologi des Consistorii daselbs

M. Johannes Magirus, Probst  
zu Stuttgart.

Lucas Oslander, D. Württembergischer Hof-Prediger.

Wilhelm Holder,

M. Felix Bidenbach/ mpria,



XLI.

*Salutem in Christo Jesu Salvatore nostro unico. Reverende & clarissime Domine Doctor, amice & in Christo frater honorande.*

**Q**UOD meum sit de scripto Vestro Antipezeliano iudicium, ex prioribus meis ad R. T. datis literis constare arbitror. Idem mecum sentiunt Collegæ. Itaque exoptavimus omnes & operam (quod in nobis fuit) dedimus, ut apud nos excudi posset. Agnoscimus enim in te sanctum zelum pro domo Domini, atque singularem dexteritatem, nervos, & fundamenta firmissimè, quibus Pezelio os, si modo habeat, validissimè obstruitur. Sed quo fato fiat, quave temporum injuria, ut hactenus quidem editionis ejus apud nos facultas extorqueri non potuerit, ignoro. Hinc factum est, ut Domini Collegæ mei consultius esse existimaverint, scriptum hoc ad R. T. remittere, quam occasiones ejus adendi incertas diutius expectare, ut si fieri omninò posset, nundinis his instantibus, vel prima saltem folia, si totum absolvere non daretur, vel Argentorati, vel Francofurti per Johannem Spießium (qui requiritus

A. 1594.

PARS SEXTA

551

fitus proculdubio laborem hunc non esset detrectaturus) prodirent. Boni itaque R. T. consulet hoc quicquid est. Cui Spiritum Domini ex animo precor ad præliandum fortiter bella Domini. Reverendis Dominis Collégis, & imprimis Domino Doctori Pappo adscribo salutem officiosè. Datum Stutgardia, 31. Augusti, 94.

T. R.

amantiss.

Johannes Magirus.

Dn. Doctor Andreas Osiander nunc abest, ut manum suam communibus Confistorii literis subjicere non poterit.



XIII.

Salutem in Christo plurimam.

Utrum, Reverende & clarissime Domine Doctor, frater plurimum dilecte, Literæ meæ, quas Leobergâ vel Böblingâ (si rectè memini) ad Reverendam T. D. dedi, fideliter reddita sint, nec ne, ex ultimis Dignitatis T. literis non satis evidentè possum colligere. Scripsi autem, qua de causa *Avraro d'opus* illud, (quantumvis præclare elaboratum, nec non à Consistorio Ecclesiastico hujus Ducatus approbatum) Tubingæ hætenus non sit excusum, quia nimirum Illustrissimus meus Princeps non ita pridem Consistorio significavit, nolle suam Celsitudinem, ut hoc quidem tempore quidquam extraneorum librorum Tubingæ evulgetur. Accedit autem & alia quædam circumstantia, quæ facit, ut *Avraro d'opus*, vestri publicationem ne quidem ad proximas vernales nundinas polliceri auserim: Quamquam enim Illustrissimus meus (quod ego sciam) nec in verbis nec rebus quidquam desideret; (audit enim nostras in hoc argumenti genere conciones, non sine luculento consensu & approbatione) puto tamen subesse aliquas hujus difficultatis causas, quas cognoscere mihi hætenus non licuit. Dabit igitur Reverenda T. Dignitas operam, ut arma, quibus Goliathes ille debelletur, Francofurti potius vel alibi, adornentur & dividantur, quam ut Ecclesiæ DEI necessaria propugnandæ Veritatis adminicula desint. Quod superest, Reverendam T. Dignitatem cum reverendis Dominis collegis, præsertim clarissimo viro, Dn. D. Pappo (cui ex me officiosam salutem dici velim) divinæ bonitati commendo. Dabantur in arce Hohenasperg, 8, Septembris, Anno 1594.

R. T. D.

studiosissimus

Andreas Osiander, D.

XLIII.

## XLIII.

Die gnad Gottes durch unsern Hailand Jesum Christum zuvor/  
Ehrwürdiger/ Hochgelehrter Herr Doctor/ Imponders lieber herr  
und bruder in Christo.

Ich hette gern gesehen/ das wais mein herr Christus der herrenkündiger/ das E. E. *Scriptum* zu Tüwingen hette gedruckt werden mögen/ ad testificandum pium & constantem inter nos contentum. Wie Ich auch meine herrn Collegas alle gleicher gestalt gesinnet wais. Ich sehe es auch noch gern/ aber erage darneben die fürsorg/ es werde nicht geschehen können. Dan ob wol in meinem gnedigen fürsten und herrn ganz und gar kein zweiffel zu sezen/ dann das Jr. Jt. Gn. unserer raimen Confession von herren zugethan. Wie Jr. Jt. Gn. sich dessen vielfeltig erklärr/ und sonderlich bezugthane predig herrn D. Ostlandri/ uff verschienen heiligen Christag gehalten/ (welche Ich zum zeugnis/ E. E. hienit überschicke) selbs proprio motu in den Truck zu geben bevolhen: Jedoch kan ich nicht wissen/ aus wais ursachen/ oder aus welcher personen auffstiftung und eingiben/ Jr. Jt. Gn. wegen dieses ewres/ und noch eines andern auslendischen *scripti* wider die Calvinisten (welches eben umb selbige zeit auch übergeben worden) sich erklärr: Es werden die Authores dieser schriften/ wol anderstwo Buchtrucker finden. Darumb wird das Consistorium nicht gern Jr. Jt. Gn. mit fernern anbringen bemühen. Würd also E. E. sehen müessen/ wie sie tut einem typographo zu Franckfurt handeln. Weil es auch zu Strassburg nicht zu erhalten ist.

Und bitte Ich E. E. ganz brüederlich/ die wölle beschwergen nicht kleinmüthig oder zu fernern schreiben unlustig sich machen lassen/ oder von der Refutatione Contrademonstrationis Calvinisticae aussagen. Der Herr Doctor Hunnius hat viel seiner schriften auch zu Franckfurt müessen trucken lassen (weil er zu Marburg nicht gedröfft) seind aber dieselbe dennoch avidissime excipirt und gelesen worden. Also wird es verhoffentlich da auch gehn. Der Herr Christus wird sein sezen darzu geben/ das bey seiner kirch viel nutz und guts dadurch wird geschafft werden. Das hab Ich uff E. E. jüngste Epistolam zur wiederantwort vermelden wölle/ und ihu dieselb in den väterlichen gnedenschus Gottes bevelhen. Meine herrn Collega, deren gleichwol jeso wenig besammen/ (dann die hoffprediger von Jr. Jt. Gn. gen hoff gefordert worden/) lassen sampt mir E. E. sampt dero herrn Collegis auch freundlich und brüederlich salutiren. Datum Sturgart/ den 24. Septemb. Anno 94.

E. E.

Dienstwilliger

Johannes Magirus.  
XLIV.

## XLIV.

*S. D. Reverende & clarissime vir, frater carissime.*

**B**inas à te literas, pristinae erga me & sinceræ ac constantis benevolentiaæ fidei tuæ testes, circa Idus Julii & Calend. Sept. datas, rectè accepi. De reditu in Patriæ Academiam, non tibi solum ac tuis, sed toti Ecclesiæ ac Scholæ vestræ, & omnibus Germanicis cum illa consentientibus, gratulor. Ecclesiæ & Academiae vestræ statum, DEI beneficio tranquillum & felicem, summa cum voluptate ex literis tuis cognovi. De Reipublicæ Senatibus XIII. Virorum & XV. & XXIV. virorum an officiis, aut negociis tractandis distincti? & in quo Senatu, summi urbis Magistri, prætores ac consules, ad Reipublicæ summam pertinentia tractent? doceri à te aliquando optarim. Semiepi- scopus vester, marchio Joh. Georgius, nuptiis fratris Joh. Sigismundi, & Annæ, ægri Borussiae ducis filiaæ, Regiomonti hoc mense adest, an Letharingus bona fide societatem cum illo colat, ex te cognoscere velim. Defensionem veræ sententiæ de Eucharistia tuam, superiori anno ediram totam ferè perspexi, & candidè probo. *ὁ γὰρ ἄλλοις τῶ ὁρθῶς λέγοντι μὴ συγχρῆν.* Pagellas Refutationi tuæ oppositas, nondum vidi, nec, ut verum fatear, videre cupio. Satur enim sum talium *περὶ τῶν ἀποστόλων* & nugarum, in quibus nimium altercandu veritas amittitur. & veræ pietatis studium omne extingitur. Perinde ac si Theologia sine verba, ut lucus ligna, quemadmodum Horatius de Philosophorum, veræ virtutis studium negligentium & sophismatis solis certantium, sectis, loquitur. Antapodoma tuum nondum ad nos allatum est, nec in catalogo annotatum vidi. Quod orationis isthuc habitæ exempla mecum communicasti, reverenter gratiam habeo. Alteram quoque, certaminis Nestoriani historiam continentem, libenter legi. Quam, cum tabellarium rectè isthuc euntem habeo, (nam hic Spiræ sublitet) ad te remittam. Hastenus de prioris epistolæ tuæ capitibus præcipuis ordine respondi. Quod ad posteriorem attinet, mirifice M. Brasilius eximiam erga se benevolentiam, fidem & humanitatem tuam, & officia hospitalia, isthuc sibi tributa prædicat. Quare & ipsius & meo nomine, tibi gratias ago, & nostra studia & officia qualiacunque vicissim tibi ac tuis defero. Ungaricæ expeditionis nostræ adeo fœdum & miserabilem exitum meminisse horret animus, luctuque refugit. **DEUM** oro, ut ipse ecclesiam suam, & nos in ea, servet doceat & gubernet. Bene & feliciter vale. Postridie Simonis & Judæ Apostolorum. Anno. 1594.

David Chytræus.

Ccc cc

XLV.

## XLV.

salutem in Christo Jesu *Ἐπιπέμπω*, Unâ cum Novo felicissimo anno, T. R. D. & tui familia ex animo precor. Reverende & Clarissime D. Doctor, Frater in Domino officiosè colende.

U Nas T. R. D. literas hæcenus accepi, ex quibus intellexi, Eam Responsum ad scriptum Heidelbergense (cujus titulus est: *Gegenbeweisung / daß der Heidelbergschen Theologen Lehr der Augsbürgischen Confession nicht gemâß*) adornare. De eo sub fide certiores feci D. Theologos Wittebergenses & multos Palatinos, qui magno desiderio vestrum scriptum expectant. Quare obnixè rogo, ut id usque ad proximas nundinas Francofurtenses in lucem edatis. Si vobis deest typographus, mihi mittatis, ego Wittebergam transmittam, ut ibi excudatur. Edidit D. D. Hunnius theses hæjus materiæ, quas simul mitto.

Illustrissimus D. Elector Palatinus nuper huc misit suos Legatos, Nobilem D. Joh. Landschadium, Doct. Gernandum, D. Schüch, & D. Lingelsheimen, cujus ultimi parentem dicunt fuisse Professore in vestra Academia. Ii à statibus hæjus Provinciæ congregatis petierunt nomine executionis Turcicæ à centum florenis unum florenum. Sed status de centum florenis pendit ad 7. annos, quotannis 30. cruciferos. Institerunt autem vehementer, ut ipsis etiam Exercitium liberum nostræ Religionis concedatur, quod Legati in se recipere noluerunt, sed se ad D. Electorem relatuos promiserunt. Sic Ecclesia hæjus Provinciæ status adhuc est miserabilis. Snt multi Lutherani ministri hæcenus dimissi, ac in eorum locum Calviniani substituti. Nos hic adhuc pristina pace fruimur, quam Dominus elementer conservet. Dignissimus D. Cancellarius, Lic. Harderus nuper duxit aliam uxorem, virginem ex patriciorum familia Noribergensi, *der Hassen*/ celebrabit nuptias intra paucas septimanas. Dominus bono & pio viro largiatur benedictionem, ac etiam prolem, qua hæcenus caruit. Edidi Witteberga libellum de S. Cæna, sed is ita mendose est excusus, ut ad meam petitionem injunctum sit Typographo, quasdam paginas recudere, quod cum factum fuerit, T. R. D. exemplar transmittam. Valeat T. R. D. in Christo, & familiæ salutem meam officiosam dicat. Datum Ambergæ, 20. Januarii, Ao. 95.

Literas D. Kozmanno inscriptas ei reddi curabitis.

I. R. D.

*Deditissimus*

Jacobus Schopperus, D.

XLVI.

*S. D. Reverende & clarissime Vir, frater carissime.*

Superiore autumno, prolixam epistolam, tibi inscriptam, misi Chialiano Passawero, Pastori ecclesie Spirensis, ad te curandam. Cum autem neuter tibi mihi responderit, ambigo, num recte vobis reddita sit. Itaque exemplum descriptum adjunxi. Intellego autem, vivere apud vos scholasticum pauperem, Hermannum Danichium, Plawensem, optimo & docto Viro, Pastore in hoc ducatu, natum. Eum oro, ut ad te accerfas, & benevolentiam ac studium tuum deferas. Juvet etiam, cum poteris, ut in Collegio Wilhelmitano ipsi locus sit. Adolescentem non novi, sed Patrem, tua benevolentia non indignum, gratissimo animo beneficium accepturum esse, spondeo.

Historiam Nestorii tuam remitto, & pro communicatione amanter gratiam habeo. Meae vires animi & corporis quotidie sensim deficiunt, & ad metam tendunt. *Χειρὶ τῆς Χερῶν Δοκ. Βίοντιο τῆς Θ.* Bene & feliciter Vale.  
Die Gertrudis, 17 Martii. Anno 1595.

David Chytræus.

*Gratia & pax à DEO Patre per Dominum nostrum Jesum Christum. Reverende & clarissime Domine Doctor, amice & in Christo frater honorande.*

Antapodoma tuum ad Pezelium munus est mihi gratissimum, pro quo & magnas habeo & ago gratias; atque ex animo lætor in lucem illud prodiisse, spero enim fore, ut hinc lubrici hujus serpentis Sophisticationes, quibus venenum suum pingere & occultare studet, magis magisque innescant etiam simplicioribus, quorum animos blandiloquentia sua & inani verborum fucio haecenus decepit.

Grata etiam erit Ecclesie Christi *Asiaticis*, cujus mentionem in Epistola facis. Dominus noster Ihesus Christus, cujus causam agis, spiritu suo sancto te regat & roborret, & vitæ longævitate clementer concedat. Ut feliciter bellare bella Domini pergas, ad nominis sui gloriam, ad veritatis defensionem, & Calvinisticæ vanitatis confusionem æternam.

Jam pridem Calvinistæ hoc artificio illiberali uti cæperunt, ut aliud lingua sonet, aliud cor sentiat. Loquuntur interdum lingua nostrâ, at cor eorum longè à nobis est, in morem hyænæ, quæ vocem humanam imitari dicitur, in hominum perniciem, quos vocis similitudine allectos interficit. Sic adversa pars voce & verbis ad confessionem Augustanam, Apologiam, & Concord. Witebergensem accedere videri

deri volunt, cum veram horum sententiam cane & angue pejus oderint, & extinetam cupiant, sed non proficient amplius.

Huberum quod attinet, nihil spei video, est mihi notum hominis ingenium opinionis semel conceptæ tenacissimum, ad ejusque propagationem ardentissimum. Audio ejectum è Saxonia Electorali, circumcurritare & quarere patronos & præla, ut suos collegas non jam Calvinismi, sed Saracenismi publicè proclamer & reos agat: in tantam, ut fertur, exarsit rabiem. Nisi conatibus ejus obstiterit DOMINUS, dabit maximas in Ecclesia turbas, & offendicula offendiculis cumulabit. DOMINUS & Salvator noster Ihesus Christus medeatur hic scandalis, & Ecclesiam suam conseruet in veritate sua, sermo ipsius est eritas. Benè & feliciter in Christo vale, Reverende & Clarissime Vir, una cum Reverendis Dominis Collegis, quibus omnibus ego & Collegæ Salutem reverenter & officiosè adscribimus. Datæ 8. Aprilis 1595.

R. T.

AMANS &amp; COLENS

Johannes Magirus, Ecclesiæ  
Stutgard. Præpositus,

## XLIX.

**S** Breviorem in scribendo me facit, vehemens κεφαλαία & gravedo, qua cum aliquot jam diebus conflictandum mihi fuit. Dabis igitur haud gravatè brevitati veniam, Reverende ac Clarissime D. Doctor, Domine & amice plurimum colende: & uberiores primo quoque tempore expectabis à me literas. *Αρτιπαιδιον* Tuum, Pezelianis nœniis oppositum, haud omninò, eadem præpeditus causa, legendo absolvi. Quotquot verò ego hactenus quaterniones evolvi, nec evolvi modò, verùm etiam, quantum quidem per judicii imbecillitatem licuit, ad cælestis veritatis normam, tanquam in fallibilem Cynosuram, appendi, verè & candidè affirmare possum me nihil in iis deprehendisse, quod vel à S. literarum mente genuina, vel ab *ἀγαλλία* fidei, vel denique à Confessionis *συνομιλίας* Augustanæ, cæterarumque Ecclesiarum nostrarum librorum symbolico- rum candore, fide, consensu vel tantillum desleat. Quo sanè nomine ex animo Ecclesiis nostris gratulor, TIBI verò iterum atque iterum pro hoc labore gratias ago habeoq; immortales. Alterum tuum scriptum, Heidelbergensium *ἐλαστέρις* nugis, in Comitii superioribus proximiis, toti orbi Christiano propinatis oppositum, in Catalogis quidem deprehendi, verùm à nostris Bibliopolis nullum ejus ad nos Exemplum hactenus allatum. Germanica Confes-

A. 1595.

Confessio D. Huberi, Ursellii nuper typis demandata, certè monstrè aliquid alic, & ad movendas in Ecclesiis turbas, præclaras occasiones suppeditat. Dum enim imprudentiores, inque hac controversia minus exercitari, Confessionem illam simpliciter accipiunt, in qua profectò rectius ille sentit, quàm loquitur, neque inter dilectionem, vocationem & Electionem distinguere didicerunt, sit, ut plerique in Huberi sententiam, pedibus quod ajunt, concedant, injustè ipsum damnatum clamitent, Ecclesias Misnicas, earumque Doctores, gravi omninò præjudicio onerent. Cujus rei *επισημάνομεν* quædam, apud nonnullos Reipub. nostræ Advocatos, viros alioqui clarissimos, non sine dolore videre necesse habui, qui sola illa Confessione moti, ita mordicus causam Huberianam defendendam susceperunt, ut in ipsius sententiam quasi jusse videantur. Controversia Fischeriana quo jam utatur fidere non constat: Spero autem me brevi, de utraque Controversia prolixas satis & copiosas accepturum literas, quarum argumentum præxima occasione, volente DOMINO, communicabo. Benè vale, Reverende & clarissime D. Doctor, Amice plurimum & amande & colende, & me, quod facis, amare perge. Scripsi Ulmæ, 5. Maji, 1595.

R. d. t.

observantiss.

L. Hutterus, D.

Ornatiss. M. Ludovicum Episcopum, meis verbis peramanter salvere jubeo, literarumque intermissione ut ignoscat, etiam atque etiam rogo. Nam doloribus capitis nondum remittentibus, pluris mihi ipsi faceffere negotii, minus consultum existimavi.



XLIX.

*Sal. in Servatore Christo, Reverende & clarissime D.*

*Deor, Domine, compater & frater honorande.*

**R**emitto tibi epistolam Huberianam, ad quam, quæ respondisti, perplacent mihi omnia, planeque eis subscribo, nec quicquam mutandum aut demendum existimo. Vellem tamen, nisi molestum tibi esset, hæc etiam sequentia addi: 1. discrimen perspicuum inter dogma Calvinianorum, tum de particularitate Electionis, tum de prævisione Fidei, & nostram de iisdem sententiam: ubi etiam testimonia duo

Ccccc 3

Rom.

Rom. 8, 29. & 1. Pet. 1, 2. à corruptelis Huberianis breviter possent vindicari. 2. discrimen item sententiæ Pelagianorum & nostræ: ubi etiam Antiquitatis aliqua possent citari testimonia pro nostra sententia, maxime Augustini & Prosperii. 3. Utile etiam fortassis esset Hubero ostendi, quod opinio ipsius non modò cum S. literis, Antiquitate, & Formula Concordiæ, sed etiam cum doctrina Lutheri ex diametro pugnet; in quam sententiam puto extrare satis perspicua testimonia in Commentariis in Genesim. 4. Quod verò conqueritur, falso sibi ab Adversariis impingi Electionem, quæ sua universalitate, nullis consideratis mediis, quibus ad finem Electionis perveniri oporteat, omnes homines corripit in cælum, facile demonstrari meo quidem iudicio potest, hoc ex ipsius sententia necessariò consequi. Apertè enim distinguit Electionem seu Prædestinationem ipsam, à Fine, seu consecutione vitæ; & huic quidem quam tamen particularem facit, Media conjungit, ab illa autem planè separat. Quanquam postea sibi ipsi manifestè contradicens fatetur, eos qui ad vitam non sunt prædestinati, neque ad Fidem neque ad Media esse prædestinatos: unde per conversionem simplicem sequitur, Prædestinatos ad vitam, ad Fidem quoque & ad Media prædestinatos esse. Si igitur omnes ad vitam prædestinati sunt, ut ipse vult, erunt etiam omnes ad Fidem & ad Media prædestinati, atque ita rursus ipsius opinio curruet, omnesque homines in cælum nescio quod corripiet. Sed nihil opus est hæc ad te scribi prolixius; gratias tibi, reverende D. Compater, maximas ago, quod & respondere D. Hubero tam diligenter, & quæ responsa à te sunt, communicare mecum tam amicè volueris. De cæteris propediem, & spero coram, omninò enim adventum vestrum expectamus. Benè in Christo Salvatore cum omnibus tuis & nostris vale, & sal. officiosiss. D. Collegis omnibus & singulis dicito. Raptim ad confluentes Griesbachii & Renchæ, 4. Augusti, 1595.

*Rev. Dign. tua*

*studiofiss. Compater*

Joh. Pappus, D.



L.

*Salutem in Domino. Reverende & clarissime Domine Doctor, amice & frater in Domino plurimum honorande.*

**A** Nunciatus tuum mense Aprilis, mox ubi acceperam, Illustrissimo principi, Philippo Ludovico Palatino, Domino meo clementissimo humiliter obtuli. Cujus Celsitas suo nomine clementer responderet, & quatuor illos aureos, quos inclusos reperies

A. 1595.

peries, adjungi jussit. Quod pridem factum fuisset, si certa mihi occasio fuisset oblata. Nam de profectioe Christophori Gribelii nobilis, ad vos mensē Junio instituta, demum post discessum audieram. Interea profectioes vel peregrinationes meæ & occupationes aliæ moram nonnullam pepererunt. Peto igitur, ne moram illam diuturniorem ægrè feras, utque in asserenda veritate contra Pezelium & alios orthodoxe doctrinæ hostes strenuè pergās. Scripsi alteram contra Calvinianos Synopsin, de omnibus inter nos & illos controversis articulis, qua ad M. Beumleri & aliorum quorundam argumenta respondeo. Illa in præsentī mercatu Francofurdiāno evulgabitur. Exemplum illius huic tabellioni Ulmam eunti commodè committere non potui.

De controversia Huberiana à D. Doctore Hunnio nostro crebras accipio literas, ex quibus intelligo consensum inter Theologos Wirtembergicos & Rostochianos, quem aliquo modo turbaverat Huberus, de novo initum & confirmatum esse. Jamque inter hos & Huberum novam orituram concertationem propter intempestivam consensu isthuc initi evulgationem, quam illi contra datam fidem ab Hubero factam esse haud obscurè ostendunt. Hic Erphordiæ concionem Rostochii habitam typis evulgaturus dicitur. Quo sine illud fiat, facile est divinare. De deditioe Castellī Strigomenis à Turcis 3. Septembris Calendarii Gregoriani facta heri allatum est nuncium, pro quo DEO gratiæ sunt agendæ. Vale vir clarissimè, amice observandè. Neuburgi ad Danubium, 30. Augusti, 1595.

*Reverendæ dignitati tuæ*

*studiosissimus*

Jacobus Heilbrunner, D.

Peto breve responsum, quo fatearis te nummos illos aureos accepisse.



LI.

*S. P. In Domino nostro Jesu Christo.*

Colende & ornatissime Dn. Doctore Philippe. Scripsi hæc die Dominica statim post habitam concionem, satis celeri calamo, & festinavi propter festinationem ejus, qui hæc erat suscepturus & Basileam laturus ad meum Affinem, ut ab ipso Argentoratum perferri possent. Scribo autem non solum alendæ amicitiae nostræ causâ, quæ ante 34. annos bono omine cæpta est in ædib. Reverendi Dn. Parentis tui, & hætenus internos conservata, sed etiam

ideo

idè scribo, ut vos, hoc est, te & Dn. Doct. Pappum, cui hæc legendas offeres, certiores faciam de tribus sequentibus capitibus. Quorum primum hoc est: constans apud nos fama circumfertur, nescio quo auctore, vos duos iterum in arenam provocatos ab Apostata Pistorio, & certamen disputationis oblatum, vos etiam consensisse, si permittat illustris Senatus Argentoratensis in sua urbe disputationem. Quod an verum sit, an verò sit splendidum ipsius Pistorii, & dulce ipsi, ac ipsius farinae hominibus figmentum, multi mirantes apud nos Pastores avent cognoscere. Deinde idem Pistor malus laborare dicitur, & nihil non movere, ut pinsat, nescio quem panem, nostris Illustriss. & observandissimis Principibus, & eò spectari, ut vel ambos, vel alterutrum saltem, ad eam, quam ipse pro vera habet, Catholicam religionem convertat, ut pridem fecit cum Marchione Jacobo: p. m. Quam famam licet pro fabula hætenus habuerim, tamen quia hisce præteritis diebus accepi literas ab aliquo quodam, & nobili viro, in quibus idem affirmatur, incipio aliquid suspicari. Et hæc ipsa res mirè sollicitum & anxium habuit nostrum Marium in suo agone. Rogo igitur vos ambos per nostram amicitiam, si aliquid certi vel sciveritis, vel cognoveritis, me ut tempestive qualicumque occasione admoneatis. Si talia curat disseminari, improbus ille Pistor abs re, dabit suo tempore justas DEO vindicæ poenas. Tertio placet etiam hoc vobis significare. Reverendus & valdè eruditus ac peritus divinarum mysteriorum vir, Dn. Georgius Marius, Borussus, Superioris Marchicæ generalis Inspector, seu, ut græci loquuntur significantius, *ἐπιτομολογος*, diem suum obiit, die 15. hujusce mensis Decembris, inter primam & secundam pomeridianam, Rœtelæ, cum nuper antea rediisset ex patria, ut matrem inviseret ab obitu dilecti parentis. Cui egomet ipse S. Cænam DOMINI dedi in præsentia aliorum 7. Ministrorum verbi, pridie ejus diei, quàm moreretur. Vicinus jam morti meam utramque manum, sua utraque manu amicè & tenerè, ultrò complexus, imò arripuit & pressit ad fere dimidiæ horum spacium. Interrogatus à me in aliquot Ministrorum verbi præsentia, adstante etiam coram lecto nostri Dn. Archipræsidis uxore, hisce germ. verbis: *wolt Ihr auch / reverende Dn. frater, mit Gottes gnediger hülf / und beystand seines H. Geistes / in der Lehr / so ihr bisanher aus den Schrifften der H. Propheten und Aposteln / geprediget und bekennet habt / in diesel / und andern Kircken / beständig bis an eiver Ende verharren?* Ibi clara & aperta voce, cum zelo quodam, respondebat: AMEN. Habebat quasdam tentationes & paroxismos, quos ei eximere studebamus, de mutanda religione, de parentis sui obitu, de illorum dogmate, qui promissiones divinas de gratia negant esse universales, & frivole quoque negant, Christum *ὁμοειπνον*, esse nobiscum, ut Christus est, id est, totum. Si non est totus nobiscum, inquiebat ubi igitur hæret? Verum abrumbo, ob festinationem tabellarii, ut suprâ dixi, & sub finem, quod primum esse dece-

decebat, precor tibi & tuis omnibus, mi Dn. Philippe, Pappo etiam, & suis, felicissimum hujusce anni exeuntis jam exitum, & feliciorum novi ingressum, successum & rursus egressum, *in p. l. d.* Scripsi Dominicâ post natalem Domini, corrente calamo, 1595.

Cupio ex me amanter salutari Dn. Lipticum, Schallerum, & Diaconum Schillingium; apud quem commensalis est Dn. Marii, p. m. filius. Literas ejus ob morbi vim non legit ante obitum, uxor curavit eas à tutore legi; accipiet suo tempore responsum à Vidua tristi, quæ in eo momento peperit fœmellam, quo expiravit D. Marius.

T. DIGN.

*observantiss. & studiosiss.*

M. Paulus Cherlerus, Rœtelæ Synodicus  
Secretarius & Pastor Pincemienfis.

---

LII.

*S. D: Reverende & clarissime vir, frater charissime:*

Mense Martio, epistolam ad te, præceptori patritii Lubecensis, dedi. Hanc civi nostro, Bartholomæo Thim, tradidi, rectâ ad nos redituro. Servo enim solenne istud in veris amicitiiis, ut ne quem isthuc euntem absque literis dimittam. Mitto autem, in Comitiiis regni Poloniæ, proximo mense Aprili habitam Deliberationem (de societate adversus Turcam cum Imperatore nostro ineundâ) quæ linguâ Polonicâ typis descripta, in ipsis comitiis palam publicè distracta est. Conditiones fœderis Imperatori propositæ ostendunt, ferè ludibrio, à quibusdam illius gentis, & Cæsarem & Principes Germaniæ, & aliarum nationum haberi. Adjuncta enim deliberationi Polonicæ erat tabula impressa, Brussii Scoti consilio opposita, quam descriptam mitto, ac vicissim vestræ Ecclesiæ, Reipublicæ, & vicinæ statum ex te cognoscere cupio. Benè & feliciter vale. Die SS. Trinitatis, Anno 1596.

David Chytræus.

LIII.

*Salutem in Servatore Christo, Reverende & chariss. Domine Doctor, compater & frater honorande.*

Petit à me D. Doctor Schopperus testimonium pro M. Henrico Mummio, quod tamen verè dare illi possim, sinceritatis in confessione, doctrinæ minimè vulgariis,  
D d d d

TIS,

ris, morum & vitæ honestatis, singularis denique in tractanda juventute dexteritatis, tamen quia uxorem meam affinitate aliqua attingit, consobrina enim ejus noverca est Mummii, malim tuam etiam autoritatem apud Dn. Doct. Schopperum intervenire. Quia igitur spero te ipsum quoque de M. Mummio bene sentire, majorem in modum te oro, ut ipsum D. Doct. Schoppero diligenter commendes. Sed epistolam sub vesperam paratam esse oportebit, quia cras summo manè discedet tabellarius. Bene in Christo Servatore cum omnibus tuis vale. Argentorato, 14. Junii, 1596.

*Rev. Dign. tua*

*Studiofiss.*

Joh. Pappus, D.



LIV.

*Salutem in Christo Jesu, Domino & Servatore nostro Unico.*

**R**eddidi tui, Reverende & Clarissime Domine Doctor, amice ac frater plurimum honorande, literas, ornatissimus juvenis, Dominus M. Ludovicus Episcopus, quem ad nos sese conferentem, diligenter ac prolixè mihi commendasti, atque ut meo calculo & voto ipsi adsim, ut vel ad officium publicum promoveatur, vel liberalius ei subsidium decernatur, rogasti.

Quamvis vero nec occasio idonea & commoda, ipsum hoc tempore promovendi, obvenerit, nec eam, quam speraveram, additionem, ipsi impetrare potuerim (cum Dominis nostris iis pactationibus, quibus ii tenentur, quos stipendio afficiunt, obligatus non sit) tamen spero, ipsum non obscuris argumentis deprehendere potuisse, tuam commendationem apud me multum ponderis habuisse. Quod si aliquando à nobis revocatus fuerit, ampla fortassis ad opitulandum dabitur commoditas.

Refutat Cyriacus Spangenbergius analysin Lutheri, à Pistorio, alastore, infami apostata & impudenti scurrâ adornatam, securus eundem, quod sine dubio nosti, D. Samuel Huberus. Quamvis verò ego laborem illorum non tantum non reprehendam, sed etiam commendem, tamen vehementer metuo, ut causæ gravitati respondeat. Quia autem Pontificii, Dominum Doctorem Pappum, Vicum Clarissimum, non levem exiltimationis jaçturam fecisse Emmendingæ gloriantur, & periculum esse, ne Pistorius serpentinis gyris animum Ernesti Friderici, Marchionis Badensis vel tandem expugnet, idque tantò magis, quia Pontificii nihil prætermittunt, quo in suas partes eum pertrahere possint, maximè dum spem ei faciunt, quietam in possessione tenendi Marchionatum Badensem, quem nuper Eduardo Fortunato vi & armis adem-

mit.

mit, si in castra Pontificia sit transiturus, te operæ pretium facturum arbitror, si laborem illum in te reciperes.

Rothiorum mater, ob quas causas Paulum filiorum maximum nati, studiorum suorum cursum quam citissime absolvere exoptet, M. Ludovicus tibi pluribus referet.

DEUS Optimus Maximus te ad nominis sui gloriam, & Ecclesiæ utilitatem, cum aliis Ecclesiæ columnis, quam diutissime servet incolumem. Datum Ulmæ, 23 Julii, Anno 96.

R. D. T.

*Studiofissimus*

Johannes Wefenbeccius, D.



LV.

*S. D. Reverende & clarissime vir, frater carissime.*

GRatiam tibi habeo, quòd amanter respondere dignatus es. Poloniae Regis Legati, circa Pascha in Sueciam huc transierunt, conjugium Episcopi vestri, cum Poloniae & Sueciæ Regis sorore confecturi. Sed ad nos nondum redierunt. Interea Reuberus vester in Daniã fuit; ubi ad coronationem hoc mense exeunte peragendam, magni apparatus fiunt. Transitorios se per hanc urbem significarunt Administrator Magdeburgensis, & Christianus adolescens: ambo Electoris Brandeburgensis filii. Saxoniae Administrator splendidæ legationi à se mittendæ, naves à nostro Senatu ad 1. Augusti apparari petivit. Meus Princeps Ulricus, quanquam avus regis maternus est, tamen ætatis & valetudinis excusatione usus, domi manet. Poloniae Rex cum per literas tantum & non per legatos invitatus sit, legatos nullos missurus dicitur. Præmisit autem equos aliquot generosos, Regi exhibendos, per nobilem equisonem. Sed has ineptias relinquo, & DEUM ut ipse nos doceat gubernet ac servet oro. Bene vale. Die Sixti, 6. Augusti, Anno 1596.

David Chytræus.



LVI.

*S. D. Reverenda & Clarissime Domine Doctor, frater carissime.*

ET si duos jam menses, animo & corpore æger, decumbo, tamen oblata tabellarii isthuc euntis facultate, brevi epistolio te salutare, & pagellas ali-

Ddd dd 2

quot

quot historicas mittere volui, quæ rerum cognitu non indignarum varietate & copia brevitatem epistolæ compensabunt. De sædissima nostrorum Ducum & militum ad Agriam fuga meminisse horret animus, luctuque refugit. Polonos, ut viros sapientes, talium Ducum societatem & sædus adversus Turcas, hætenus refugisse, res ipsa ostendit. De collegio Ecclesiæ vestræ, & vicinæ Lotharingiæ & Galliæ statu, à te doceri cupio. Benè & feliciter vale. Postridie Catharinæ, Anno 1596.

David Chytræus.



LVII.

*S. In Christo Ihesu Domino & Servatore nostro.*

QUO minus ad literas tuas, humanitatis ac benevolentia plenas, superiori mense Aprili scriptas, hætenus responderim, Reverende & Clarissime D. Doctor, non est ut excusationis causas, vel in tabelliariorum penuriam, vel rei scribendæ inopiam, vel denique occupationum mearum multitudinem transferam. Neque enim ullum horum, excusationis vim obtinere vel potest, vel etiam debet. Verùm, ut quod res est, inguè confitear, omnis culpa, si qua commissa est, in tuas mihi transferenda videretur literas. Cum enim illæ, de Witebergensi vocatione, quæ mihi tum contigerit, gratulentur, non priùs mihi rescribendum putavi, quàm certi quid de hac ipsa mea vocatione, in alterutram partem mihi constaret. Interim tamen literas tuas boni ominis loco, & quasi futuræ hujus meæ vocationis præfagas omninò habui. Neque etiam hæc mea me spes fefellit. Nam quod sælix ac faustum, rei que Christianæ ac literariæ salutare jubeat esse Christus Ihesus, sexto mensis hujus, consentientibus patrum Academia suffragiis, in Collegium Professorum Theologiæ, Academia Witebergensis adscitus & cooptatus, & Illustrissimi ac Celsissimi Principis ac Domini, D. Friderici Gulielmi, Ducis ac Proelectoris Saxonæ, consensu & approbatione confirmatus sum. Equidem, uti præpotenti DEO immortales ago toto pectore gratias, quòd dignum me judicavit, quem in tam illustrem locum, & ipsam Lutheri cathedram evocaret, ita eidem me vocanti lubens meritoque obtempero, huicque vocationi locum relinquo, propediem hinc eò abitum paraturus. Idem æternus ille pater, hoc quod in me inchoavit opus bonum, clementer dirigat, secundet, confirmet, perficiat. Tibi verò, Reverende ac Clarissime Dn. Doctor, Domine & amice plurimùm colende, gratias, quas possum animo concipere, ago habeoque maximas, quòd tam piis ac  
fauis

faustis votis ac congratulationibus, meam hanc vocationem, tum quidem futuram, sed jam præsentem, prosequi voluisti: Tibi vicissim, totique tuæ familiæ felicissima quæque ex animo, per Christum Immanuelem nostrum precor & opro. Faxit DEUS Opt. Max. utrinque nostris votis pondus inesse vel maximum, Amen.

De M. Johanne Pappo, ejusque studiis scripsi jam quoque ad Reverendum Dominum parentem ejus: Depræhendo quotidie, ipsi neque deesse ingenium, neque judicium, sed discendi potius animum & studium. Quo fit, ut calcaribus magis, quàm freno indigeat. De duobus illis Viennensibus Austriis, quos commendatione mihi dedisti, hoc habeo scribere; ipsos esse decus atque ornamentum huic Academiæ. Sive enim diligentiam in studiis, sive honestatem morum ac vitæ spectamus, nihil certè vel minimum etiam in ipsis hæcenus desiderari potuerit. Intercedit mihi cum præceptore ipsorum familiaritas haud vulgaris, ita ut ex consuetudine frequenti, morum ac studiorum ipsorum ratio mihi probè sit cognita ac perspecta. Certè nemo hac in Academia est vir bonus, qui non de tam piis ac obsequentibus filiis, parentibus gratuletur, Academiae verò nostræ plurimum gaudeat.

Quid Helmstadienses Theologi turbarum contra Rev. & Clariss. D. Doct. Milium nuper moverint, ipse D. Milius, Domino Doctore Pappo per literas pluribus exposuit. Controversia, quæ hæcenus intra Aulae nostræ pomeria latuit, videtur propediem in apertum eruptura. Fax ac tuba hujus dissidii est Doct. Hoffmannus, Criticus omnium Theologorum censor, *φλευρο*, ac reliquos omnes pro fungis ac stipitibus reputans. Bellum is jam pridem indixit, Majestati Christi hominis, quam sub odioso Ubiquitatis nomine nefariè traducit. DEUS Opt. Max. Ecclesiæ misertus, his & aliis vulneribus paternè medeatur. Pezelius sacrum sibi indixit silentium, ut qui nec hisce nundinis quicquam responderit. Huberus proterviam suam prodit, virulento illo scripto, nuper contra Doct. Osiandrum evulgato. Benè vale, Reverende & Clarissime Domine Doctot, amice & frater plurimum colende, & festinationi ignosce: Neque enim describendi Epistolam hanc concessa mihi fuit facultas. Scripsi Jhenæ 11. Octobr. 1596.

M. Lud. Episcopum peramanter salvere jubeo.

Clariss. viro D. M. Junio, Rectori item Academiae vestrae Magnifico, Dn. Doct. Hawenreutero, salutem reverenter & officiosè adscribo.

R. d. l.

*obseryantiss.*

Leonh. Hutternus, D.

Dddd 3

LIX,

## LIIIX.

S. P. IN DOMINO JESU CHRISTO, qui est heri, hodie, & idem in secula.  
Clarissime, chariss. ornatissimę, Dn. Doctör Philippe Marbachii.

**L**ubenti animo, & prompto calamo, tuam ad humanitatem toties scribo, quoties bella occasio, seu, ut Græci loquuntur *συναγία* mihi datur. Cum igitur eadem nunc sit commode oblata, per eruditum honestumque juvenem, Johan. Ernestum Frischium, in inelyta Acad. Argentorat. Studiosum, nequaquam vel debui vel volui committere, ut ille sine meis literis illuc rediret. Cupio enim nostram ali amicitiam, cupio eam durare ad superiores, inferosque, ratione animarum corporumque, si fieri possit.

SCRIBAM autem nunc potissimum de tribus, non stylo quidem elaborato aut anxio, sed libero & sua sponte incitato ac currente. De quibus verè rebus?

1. De tuis literis, quas extrema vice ad me dedisti.
2. Nonnulla addam nostris de Ecclesiis, ac novo *improbatę*.
3. Quædam aspergam de Grynæo tuo, &c.

1. De tuis literis postremum ad me datis. si rectè nemini, antea quædam rescripti. Sed libet ac liceat nunc pauca addere, prius à me tuam ad humanitatem non perscripta. Et liceat id mihi bona tua pace ac venia facere. Literas illas tuas non solum nonnulli, & numero satis multi Pastores, meo permissu, viderunt ac perlegerunt, in nuptiis filiaë cujusdam Ministri verbi divini, ad quas illi confluxerant, sed etiam illustriss. noster Princeps Georg. Fridericus, March. Bad. factus de iis certior per Archipræsidentem Rætulanum, virum candidum, summum, & verè Lutheranum, legendæ epistolæ illius tuæ sibi copiam à me dari ipsemet petiit, in arce Rætela, cum imperare potuisset. Eandem perlectam in prandio, clementer curavit mihi restitui per Secretarium, & gratias egit pro exhibitâ. Sed cogitas fortè, aut objicis. Quid facis aut sapias Chetlere? non eum in finem scripsi, ut tu meas literas aliis vel ministris Vestris, vel principibus ostenderes, legendasq; dares, verum ut tute solus solas legendo percurreres. Rectè: non nego sic faciendum aliquando & plerunque. Verum enim verò quia epistola illa tua nihil habebat, quod vel mihi, vel meæ, vel tuæ famæ incommodari poterat, apud æquos lectores, imò etiam apud iniquos, & quia aliquid certi continebant de excitato rumusculo Pistorianæ inanis & vanæ disputationis, de qua magna spes erat in animis omnium, magnus & constans sermo in ore plerorumque, ideo ut multi liberarentur inani scrupulo, eas legendas multis præbui: cætera ego & tu, mi Domine Philippe, & alii, qui eas inspexerunt cum iudicio literas, scimus & cogitare possumus. Hac de re satis.

2. Venio ad alterum epistolæ caput, non tuæ, sed meæ, quam nunc scribere institui. Non enim dubito, me rem tibi gratam facturum, si aliquid, manens intra oleas, ad te perscriptis loquar, cum

Gra-

Græcis, de nostro *ἰερογράφος*. Est is Wirtembergicus, Tübingæ natus, educatusque, cui nomen est: Johanni Weinigero, quod in libro Concordiæ invenies. Illustriss. noster princeps ipsemet præsto fuit, cum cœtui fratrum in arce Rætela Vispiorum, solenni commendatione sisteretur: de quo optimè speramus, nec vel suspicari quicquam sinistri licet pio & cordato viro, quia Christiana id charitas vetat, & officii nostri ratio. Tempus omnia revelat. In visitatione abs se instituta, ex voluntate reverendi Magistratus, à quo diplomate instructus publ. fuit, satis acris est, & sedulus enormium excessuum inquisitor & corrector. Hodie à me per Diaconum suum priora acta Synodica petiit, quæ non recta mihi, quod expediat meipsum id facere præmissis colloquio & admonitione.

Quod mihi, chariss. & optatiss. Dn. Philippe, id genus officii detulisti, tuis in literis, in eo agnosco abundantiam amoris erga me tui, cui nimium indulxisti. Sed profectò tu hic sis, & ejus officii onera, gravamina, labores, aliosque scrupulos noris, liberè & ingenuè passurus esses, delirare nec satis sapere eos, qui id sibi officium imponi, vel optant facilè, vel apertè petunt ac expetunt. Me quod attinet, agnosco equidem meam tenuitatem, meoque me metior pede, agnosco etiam quædam DEI in me dona, seu dotes animi, quas nec sperno, nec admiror, sed ad DEI gloriam rectè iis uti cogito, & ad salutem multorum ac meam ipsius. Interea tamen non ita sum obtusus aut demens, ut vel mihi arrogem *ἱερογράφου* charismata, vel ut alteri, ea habenti, invideam. (DEUM cito testem, me ex animo sine ulla fraude ac furo loqui) alteri cedo libenter, cujus in humeros tanta negotiorum imponitur moles. Et præcor, ut is tanto par sit oneri. Gaudeo etiam, mihi parci non satis instructo aut idoneo, in hac meæ ingravescente ætate. Recordor ego VII. Superintendentium Rætelanorum: sed dispar eorum fuit status & fortuna: recordor etiam circiter XVII. aut XVIII. Diaconorum, qui nunc intra 34. annos ibidem hæserunt, & aliquandiu docuerunt; ego in mea Pincemia semper, nescio quo fato, substiti, considerans multa, quæ alibi occurrerunt, violenta: nullum autem violentum physicè diuturnum: Libenter etiam adhuc ibidem immoror & immorior, si DEO ita visum erit; sed satis etiam hac de re.

3. De postremo, cujus supra memini, per pauca addam. Dn. Do. Grynæus tuus in Disput. Heidelberg. (at acta edita publicè loquuntur) acerrimus Antagonista, Basileæ singulari fato, prætoriam & prope regiam in Ecclesia & Academia, ut mihi videtur, obtinet auctoritatem. Egregius profectò Protheus vel Chamæleon, sed bonâ ipsius pace veniaque dixerim. Disputat quicquid vult, mera videlicet loquitur oracula. Et certè habet multos Arrisores, Arrosores nullos, hoc est, tales, qui illi vel tantillum resistent, vel resistere audeant. Ego in disputatione publ. crabronem aliquando irritavi, opinor, ante decennium. Bone DEUS, quid malorum in suis literis in aulam de me, & ad vicinum Magistratum scriptis, non evomuit? Sed frustra. Qua de re utinam coram possẽ aliquando tecum confabulari, quod hæcenus

non

non licuit, fortasse licebit ante utriusq; nostri obitum, tandem aliquando. Eram paratus ad meam defensionem, sed Magistratus Reverendus me non sollicitandum existimavit, & totum factum Grynæi quali dissimulavit, dicendo, illos rectè facere, qui quod in corde sentiunt, ore publicè profitentur, &c. Habet Grynæus hoc tempore imprimis unum Arrisorem, Doctorem S. Theologiæ, nomine Amandum Polanum à Polnsdorff, gente Moravum: hominem acutum, & multa expertum, qui non ita pridem duos libros edidit, Herbornæ impressos, in quibus Pet. Ramum imitatus, Logicam explicat, cum latis exemplis. Bone & chare DEUS, quam audacter, sine fronte, quam scabiosè sine pudore, loquitur nominatim de Brentio, Jacobo Andrea, Selneccero, & de aliis, quos sibi ipsemet fingit, Ubiquitariis. Hac enim voce opinor plus centies utitur, & in ipsos amarulentè intonat. Utinam oriatur aliquis ultor idoneus. Operæ precium facturus eras, mi Dn. Philippe, meo quidem iudicio, si brevi scripto responderes, ne vel sibi soli saperet: vel tot adolescentes corrumpere. Huc ipsimet Doctore Logico & Moravo, ante octiduum suam respondit filiam gibbosam Grynæus, cui in arrham dicitur dedisse 40. ducatos. Successit idem Logicus Doctor Dn. Doct. Brandmüller in profess. Theolog. Nam Grynæus illustr. Bas. Senatui & imprimis persuasit, ut consentirent. Inconsultis, ut audio, proceribus Academicis, vel ita Consultis, ut præscriberent & imperarent, non consilium rogarent, qui rem iudicarunt. Vadit igitur res, ut vadit, sicut in Grynæi ipsius electione factum. Sed hæc abrumpo, & ad finem festino; charta enim propè hoc etiam in alterius folii latere primo, expleta est mea loquacitate. Nuptiæ brevi, celebrabuntur: puto nec ego nec tu invitabimur, & id ut fiat, neuter nostrum optat.

Hæc ferè sunt, quæ hoc tempore, currente calamo tuam ad pietatem perscribere volui, mi Dn. Doctor Philippe, veterum meorum amicorum decus & ornamentum. Cupio autem, ut per occasionem, nactus otium, rescribas. Nam tuæ me literæ mirificè recreant, oblectantque. D. Do. Pappo, quem scio nuper Lindavii de me quæsisse pauca, & Dn. Lipticio, Dn. Schallero itidem meis verbis salutem annuntiabis, si tibi non est grave. Commendo te, reliquosque tuos & meos Amicos, & omnes Argentinenses bonos ac pios viros divinæ providentiæ. Scripsi Pincemiæ, à matutina concione habita. 14. Septemb. 1596.

T. Reverentiæ & Dign.

observantiæ, & studiosiss.

M. Paulus Cherlerus, Reverendæ  
Synodi Rætellanæ ab epistolis & Secretis.

LIX.

## LIX.

*Salutem in Christo Servatore plurimam.*

**L**iteræ tuæ, Reverende & clarissime Domine Doctor, amice & frater plurimum colende, dilectissimeque, per Dominum Episcopum ad me transmissæ, probè mihi sunt redditæ, una cum tribus Orationum, à R. T. D. habitatum exemplaribus, pro quibus Dominus Præpositus, Parens meus & ego summas agimus & habemus gratias; nullam gratitudinis reipsâ declarandæ occasionem neglecturi. DEUS Opt. Max. R. T. ad nominis sui sacratissimi gloriam & Ecclesiæ fructuosam ædificationem quam diutissimè conserver, Amen.

Nova, quæ de Illustrissimo Domino Administratore & Principe Wirtembergico Juniore scripsisti, Illustrissimo meo Principi, (cujus celsitudinè literas T. R. secretò communicavi) non displicuerunt. Significavit tum mihi Celsitudo ejus, optare se, *ista inter nos secreta permanere, &c.* DEUS Opt. M. Vestræ Dignitatis pium & laudabile votum clementer ratum faxit, Amen. Quod superest, Rev. Tuam cum Reverendis Dominis Collegis, in primis clarissimo viro, Domino D. Pappo, divinæ bonitati observanter & obsecranter commendo. Raptim, 19. Octobr. Anno 96.

Parens meus Huberi Confutationem justam jam adornavit, quæ, ut spero, propediem evulgabitur.

*Rev. Tuæ Dign.*

*observantissimus*

Andreas Osiander, D.



## LX.

*S. D. Reverende & clarissime Vir, Domine Compater & frater carissime.*

**Q**uas 3. Calend. Januar. exeuntis anni 96. unâ cum prioribus, quas in nondinis Francofortensibus ad me misisti, rectè accepi, & pro Orationibus certamina Nestoriana, Eutychniana, Macedoniana, complectentibus officiosè gratias ago, ac te illarum editione præclare de Ecclesia meritum esse judico. Rumor de obitu Cardinalis Lotharingi in Sueciam usque penetra-

Eee ee

verat,

verat, qui ex tuis literis refutatus est. In Sueciæ regno omnia perturbatissima sunt. Comitatus Sudercopiæ ante fessquiannum Carolus, regis patruus, qui se Gubernatorem regni nominat, rege Sigismundo non antè consulto indixerat. Inde gravissima offensio regis secuta. & nomine ordinum totius regni Poloniæ legati in Sueciam missi, quorum orationis summam, una cum Suecici responsi capitibus in adjuncta pagella annotavi; quæ cum priore, nuper ad te missa, cui titulus est: Memorabiles aliquot evenus anni 1596. coheret. Nuptiæ sororis Regiæ & Illustrissimi Administratoris vestri ad Cal. Maji proximas, Stocholmii celebrandæ, per regis Sigismundi & Administratoris Magdeburgensis literas, amicis indicatæ sunt. Uterque enim senem Principem meum Ulricum Ducem Megapolitanum, invitavit. Georgium Rosam ingeniosissimum juvenem à me quoq; ad te literas habuisse arbitror, & filiis tuis de tali vitæ & studiorum inspectore, fide & industria, gratulor. Quod monumenta fratris, D. Erasmi, p.m. in lucem edere constituis, pietatem tuam laudo. De Ungaricis & Turcicis rebus meminisse horret animus, luctuque refugit, & Ducum nostrorum vanitatem miror, qui post fedissimam fugam tamen Thraſonicè de victoria gloriantur. Ecclesiæ & Academiæ vestræ tranquillitatem, quàm prædicās, gratulor, & DEUM, ut nos omnes doceat, gubernet ac servet, oro. Bene & feliciter vale. Reverendum & Clariss. Virum, D. Joannem Pappum, Superintendentem vestrum, reverenter saluto. Rostochii. Dominica mulieris Cananæ, 20. Februarii, Anno 1597.

David Chytræus, manu  
arthritica.



## LXI.

S. D. Reverende & clarissime vir, frater carissime.

Multos annos in hac urbe vixit hic Jacobus Rihelius Argentinensis, qui ad conducendum fratri Regis Daniæ juniori hospitium nunc præmittitur. Nolui igitur sine meis literis eum ad te venire, tametsi omnia, quæ scire de hac urbe & vicinia voles, ex ipso cognosces. Mitto Legatorum Regni Poloniæ Orationem in Suecia superiori anno habitam. In qua nunc CAROLUS regis Sigismundi patruus dominatur. An Johannes Georgius Marchio, sponſus sororis Regiæ, adhuc illuc commoretur, doceri velim. Bene & feliciter vale. In feriis Pentecostes, Anno  
1597.

David Chytræus.  
LXII.

## LXII.

*Sal. in Servatore Christo Reverende & Clarissime D. Doctor, Decane Academia Spectabilis, compater & collega, & frater plurimum honorande.*

**D**E Lescallæo semper hæc mea fuit sententia: videre eum, quos fugiat, non habere, quos sequatur. Itaque rectissime ei consuluisti, ut totum doctrinæ nostræ genus, in formula Concordiæ expositum penitus inspiciat, quid facturus sit, dies docebit. Remitto de retum Francofurtense, in quo valdè probo moderatam Senatus illius prudentiam, subinde mandata sua majore gravitate exacuunt, ut ne de subita vehementia conqueri inquilini illi rebelles possint. Reverendum D. Præpositum hodie non vidi, quia de consilio dom. Soceri medicamento quodam usus est; cras, ut spero, conveniemus, & quæ ad nos missa sunt, inter nos communicabimus. Horas lectionum commodè sanè distribuistis, cum reversus fuero, DOMINO juvante operam dabo, ut iterum vos sublevem. De aliis nihil nunc veniebat in mentem, spero me ad penultimum hujus, iterum vobiscum futurum esse. Usus acidularum & mihi, & uxori, DEI beneficio, satis commodè evenit. Ornatissimam dom. conjugem tuam, totamq; vestram familiam peramanter & officiosè resalutamus. Salutem quoque vestro nomine dici cupimus Dnn. Collegis, qui de nobis percontabuntur, imprimis Magnifico D. Rectori, & Mag. Nasserò. Bene in Christo Servatore vale. Ex acidulis Petrinis, 20. Julii, 1597.

*Rev. dign. tua*

*Studiofiss.*

Joh. Pappus, D.

## LXIII.

*Salutem in Christo:*

*Reverende & Clarissime Dn. Doctor, Domine, amice, & Compater honorande.*

**R**ecte fecisti, quod generosos Windischgrætios in hospitium & convivium tuum suscepisti. Nec dubito, quin illustris eorum mater summi beneficii loco hoc ipsum sit aestimatura, & gratum suum animum erga te declaratura. Pezilinium tuum nondum adhuc vidi, nec quicquam eorum, de quibus mihi scribis, ab eo accepi. Dn. Salomon Egnigerus, nuper Collega meus, à nostra Ecclesia revocatus, & ad Muraviensem Ecclesiam superioris Styriæ translatus est. De ejus successore nihil certi adhuc mihi constat. Sed DOMINUS providebit. De rebus Turcicis nihil certi habeo. Ideoq; eò brevior etiam est Epistola. Bene & feliciter vale

Ecc ec 2

vale cum tuis, quos nostro nomine amice salutabis. Datum Grætii, 8. Augusti, Anno 97.

T. T.

Wilhelmus Zimmerman, D.

LXIV.

*Salutem Reverende & clarissimo Domine Doctore Philippe.*

**Q**uas ad T. R. literas perscripseram 10. Aprilis, hodie 22. Augusti Hamburgo recepi. Toto pectore autem lætor, commoda valetudine tua, tuorumque omnium, & gratulor M. Georgio Rosæ de tam optato hospite, & studiorum felicissimo gubernatore, ac spero, ipsum pro felicissima illa conditione debitas gratias Deo acturum, & officio suo fidelissime satisfacturum esse. Quia de te ad eum diligenter scripsi. In vicinis urbibus Saxonice pestis sævissime grassatur, & Lubecæ præsertim quotidie ultra 100. sepeliuntur. Apud nos tantum sunt initia istius luis, & tamen studiosi Gryphisvaldiam frequentes se conferunt, metu majoris periculi subsequuturi, speramus tamen, sub umbra alarum altissimi nos tutos fore. De statu Ecclesiæ deploratissimo, nobiscum te ex animo profundissime gemere, & largissime lachrymari non dubito. Quomodo potest constare regnum Christi intra se divisum. Et tamen credimus, Ecclesiam ad reditum filii DEI mansuram. A. D. Hoffmanno non parum mihi timeo; parvi facit ille nostras fraternas admonitiones. D. Huberi scriptum contra D. Hunnium, ejusque socios, procul dubio quam plurimos turbavit, & tamen veritas salva erit. Noster Magnificus, D. Chytræus ante dies 14. Dresdam profectus est, non tam senio quam morbo pene confectus. DEUS eum nobis & Ecclesiæ servet, & incolumem ad nos reducat. Bene in Domino quam diutissime vale cum omnibus tuis. Dat. Rost. 22. Augusti, 20. 97.

T. S.

Val. Schachtius.

LXV.

**S**. Doctissime M. Georgi; toto pectore tibi gratulor de commodissimo hospicio, & felicissima conditione, ac suscepto gradu Magisterii, & lætus literas ad me tuas cum adjunctis Thesibus, ad quas respondisti, præside

doctif.

A. 1597.

Doctissimo hospite tuo, Viro Clarissimo, Domino D. Philippo Marbachio, legi. DEUM toto pectore oro, ut studiis tuis benedicat, & te organon Ecclesiae salutare propitius efficiat. Non dubito autem, te officio tuo fidelissime functurum esse, & operam daturum, ut hospiti tuo satisfacias sedula & accurata filiorum ipsius institutione ac morum disciplina, & tam mei quam tui rationem habiturum, ut reipsa tueamur & conservemus laudatam commendationem, & expectationem de nobis scriptam & conceptam. Bene in Christo vale. Initia pestis apud nos lento pede grassantis sed in vicinis urbibus vehementer saevientis, studiosos quam plurimos terret, & hinc aufugere facit. Sed tamen speramus, non magnum nobis periculum hoc anno timendum ab ea esse. Dat. Rost. 22. August. anno 97.

T. S.

Val. Schachtius.

*Inscriptio.*

Ingenio, doctrina, pietate, & omnibus virtutibus ornatissimo viro  
 M. Georgio Rosen, Academia Argentinensis alumno, amico pie colendo.

LXVI.

*Salutem in Christo.*

*Reverende & Clarissime Domine Doctor, amice & Compater honorande.*

Quas pridie Barthol. dedisti literas, à Stephano nostro, Tuo tabellario, heri accepi. Perilinius tuus nondum vel me accessit, vel per alium ea, quæ ad nos perferenda sunt, mihi misit. Curabo tamen, ut literas, ad M. Colbium exaratas, quamprimum Clagenfurtum transmittam, teque prout petis cum amplissimis Dominis Ordinariis, tum ipsi Domino Ammonio, diligentissime excussem, quamprimum accipienda accepero. Generosus Dominus Stadlerus de filii sui rebus nihil planè mecum conferre solet. Monerem alias ipsum, quæ monenda judicarem. Par ratio est cum generosa matrona, vidua Windischgrætiana. Viennæ, Lincii, & Salisburgi, ut aliis locis, pestis grassatur. Malum hoc apud nos, DEI beneficio nondum serpit. Faxit DEUS, ut porro quoque nobis parcatur. Maxima verò hominum apud nos pars aut febrî, aut morbo Hungarico laborat, multi etiam extinguuntur, inter quos primum locum facile habet Serenissima Virgo & Princeps Gregoria Maximiliana,

E e e e 3

liana,

liana, Serenissimi Principis nostri Ferdinandi soror, p. m. quæ, cum aliquot dies febris continua laborasset, tandem 20. Septembris, diem suum extremum obiit. Juniori Hispaniarum regi despondenda erat, cujus rei gratia vix decem horis, ante præmaturum ac luctuosum Serenissimæ Virginis obitum, Hispani Legati, connubium hoc procuratum huc advenere. Viam quoque universæ carnis ante mensē ingressus est Episcopus Labarensis noster. De hujus successore adhuc ambigitur. Domino Salomoni Egingero, Ecclesiæ olim nostræ Ministro, qui Muraniam superioris Styriæ avocatus est, successurus est noster (ut spero) M. Josephus Röllinus, olim Ecclesiæ Wellensis Minister, jam verò Exul. Vocatus est enim à Dominis nostris Ordinariis, per me, ad Ecclesiam nostram, ex Ducatu Wirtembergico, quo exulatum ante aliquot septimanas abierat. Tabellarius, qui hac de causa Studgardiam, unà cum literis vocationis, ante duas septimanas abiit, nondum adhuc reversus est. Ejus tamen reditum singulis horis avidè expectamus. Benè & foeliciter cum tuis vale. Datum Græcii, prid. Michaelis, Anno 1597.

T. I.

Wilhelm. Zimmerman, D.



LXVII.

*Salutem in Christo.**Reverende & clarissime Domine Doctor, Domine, amice, & Compater honorande.*

Quas à Stephano, præsentium exhibitore, accepi literas, ad M. Colbium directas, meisque inclusas, per Andream Angerspühlerum, qui 3. Octobris sacris à nobis initiatus est, cum Clagenfurtum rediret, prænominato M. Colbio transmissi. Sed sicut ab hoc nullum ab eo tempore responsum accepi: ita nec Peceelinum vidi, nec ipsius nomine quicquam eorum, quæ ipsi concredidisti accepi. Urgebo tamen, prima quaque occasione oblata, responsum. De rebus bellicis ac Turcicis nihil propemodum apud nos habetur, nisi quod paucos ante dies exercitus noster, ab obsidione Rabana discessit, seque Comorram versus contulit. Causa hujus rei dicitur, quod hostium, seu Turcarum octoaginta millia prope Dorys confluisse dicuntur, quibus nostrates obviam procedere, ac cum illis prælio concertare animum induxerint. Hæc utrum ita sese habeant, nec ne, equidem ignoro. Nostrates obsidionem reliquissè, dubium non est. Quo consilio autem hoc fecerint, ambigitur. Reliqua apud nos in pristino sunt statu, nisi quod 14. rustici Superioris Styriæ,

Syriæ, propter seditionem illius loci excitatam captivi apud nos detinentur, quibus cum haud dubiè malè ageretur. De reliquis puto me tibi scripsisse per civem Argentinensem. Scriptionem itaque abrumpo, teque cum tuis valere jubeo. Datum Græcii, 17. Octobris, Anno 97.

T. quem nosti.

Wilh. Zimmerman, D.

LXIIIX.

*Salutem in Christo,*

*Reverende & Clarissime Domine Doctor, Domine, amice, & compater honorandè.*

**H**odie modo, h. e. 25. Octobris ff. no. Pecilinius tuus me conveniens, & ternas literas, & terna exemplaria Commentariorum fratris tui Dn. D. Erasmi p. m. mihi tradidit, seseque, quibus potuit rationibus, de mora interposita excusavit. Grattias autem tibi ago maximas, pro honorifico, quo in Epistola tua dedicatoria me exornas, elogio, quo sanè me indignum judico. Deberem quidem talis esse, qualis abs te prædicor, sed tenuitatem & indignitatem meam lubens agnosco. Dicitur autem non potest, quam mihi fratris tui p. m. Commentaria eruditissima placeant, tum propter succinctam breviter, qua in Textus explicatione miro artificio utitur, tum propter doctrinas eruditissimas, quæ ex textus explicatione profluunt. Quod à me petis, ut commoda occasione observata, unà cum Domino Ammanno, & literas & Exemplar transmissum, Dominis Ordinariis tradidit, faciam hoc lubentissimè. Contuli hac de re, hac ipsa hora, in absentia Dn. Ammani, cum D. D. Veneto, tui studiosissimo, & collatis sententiis consultum esse decrevimus, ut & tuæ literæ, & Exemplar tuum, ante tertium Novembris diem, quo major Dominorum Provincialium Pars (der Ausschuss) conveniet, non tradantur. Tum enim Dominus Ammannus ipse huc veniet, & negotium hoc tuum optimè promovebit. Quod nullum D. D. Veneto exemplar transmissum est, sollicitè te excusavi. Curabis autem, ut commoda occasione oblata, quod tuo nomine permisi, tu præstes, h. e. ut abs te exemplar accipiat, cui adjungere poteris adhuc unum exemplar, pro meo genere, M. Daniele Forstmanno, viro doctissimo & optimo, qui quod Geneleos explicationem in nostra Ecclesia, in manibus habet, & tui fratris p. m. Commentariis mirifice delectatur, unice hoc per me abs te petit. Scripsisset ipsemet tibi hac de re, nisi hac septimana hebdomadarius fuisset, hancque ob causam usque aded negotiis obrutus, ut singulis diebus singulari conciones Funebres, propter ægrotantium mul-

titudinem, ipsi habendæ fuerint. Plura abs te Exemplaria non requiruntur. Bene & feliciter vale. Græcii, 25. Octobris, Anno 97.

T. quem nosci

Wilhelmus Zimmerman, D.

LXIX.

*Sal. in Servatore Christo.*

*Magnifice D. Rector, frater & compater honorande.*

**A** Manter oro, ut per hunc M. Kreuzerum, epistolam D. Schopperi mihi mittas, qua de sua dimissione tibi significavit. Valde enim ea opus habeo. 9. Decembris, 1597.

T. rey. dign.

studiosiss.

J. Pap. D.

LXX.

*S. D. Reverende & clarissime vir, compater  
& frater carissime.*

**Σ**οι οὖν ἀιδι. δολα κατ' ἀνάγκη μόνον ἐξαρθῶν τι δ' ἴσθ' ἁπλῶς ἀμύνει τὴν ἀνάγκη  
Singuli enim publicas & privatas calamitates & dolores multiplices, ætate jam ingravescente, sentimus, hebescunt sensus, torpent membra, præmoriuntur manus, pedes, dentes etiam & ciborum instrumenta, & tamen vitæ hoc tempus annumeratur, ut Plinii verbis utar. Cum quo, etsi incertum & fragile esse hoc munus naturæ, quodcunque datur nobis, experior, tamen malignum & breve, etiam in iis, quibus largissimè contingit, dicere nolim, ac hominis Epicurei, malignitatem DEO conditori tribuentis, blasphemiam excoror. Brevem verò hanc vitam, non inerti otio, vel aliud agendo, consumptam, sed in necessarios & proprios vocationis labores rectè collocatam, satis adhuc longam & benignam judico, ut hoc postremo vitæ meæ actu, intervalis, quæ morbi subinde concesserunt, ad nostrorum temporum in Saxonia eventus

eventus memorabiles, fideliter annotandos, & usque ad annum 1598. deducendos, uti licuit. Quorum volumen huic tabellario traditurus eram, si gestandi laborem non recusasset. Decimo enim libro, initia emendatæ religionis in Saxonis civitatibus continente, tuum & Dn. D. Pappi nomen præscripsi. Germanicum Saxonie exemplum, his nondinis novi anni Lipsiæ prodit, quod ab Henningo Gros, bibliopola Lipsensi, in mercatu verno Francofurtiano, petere meo nomine, & fratris tui, D. Erasmi, piæ memoriæ, Pentateuchum cujus in literis meministi, remittere poteris. Quid in Arctico hoc orbe, & regno Sueciæ præcipuè, superiori anno actum sit, pagella adjuncta anni 1597. docebit. Sigismundus Poloniæ & Sueciæ rex, Sueciam fugitivam armis recuperare cogitat, ac proximo die 7. Januarii, legatus illius ad Danicæ regem, Ericus Sparre, regni Sueciæ Cancellarius exul, hanc urbem transiens, me ex arthritide decumbentem invisit. De duobus episcopis vestris & eorum collegiis, quæ scire amico licet, à te doceri velim. De Sturmio etiam, quos hæredes reliquerit, cognoscere optarim. AntiMarbachium illius, virulentum sanè & malitiosum scriptum, amicus quidam Uratislaviâ ad me misit, quod Vulcano dicavi. Rosam tuam amanter verbis meis salutabis. Benè & feliciter vale. Die Antonii Eremitæ, 17. Januarii, Anno 1598.

David Chytræus, aliena manu &  
oculis hoc tempore utens.



LXXI.

*S. D: Reverende & clarissime vir, frater charissime:*

**T**homam Lindemannum, hominem ingeniosum, & summa cum laude modestiæ ac diligentia in studiis ac omni officio apud nos versatum, tibi commendo. Ducit secum discipulos, Lubecæ ex honesta familia natos, quorum vitricus, jam principis mei Ulrici Cancellarius est, qui multos annos præclare de harum ditionum Republica meretur. Quibus meum etiam filium Ulricum comitem adjunxi. Oro autem, ut eos, consilio tuo & autoritate juves, ut hospitium commodum, in quo habitationem, mensam, lectos, & cætera necessaria conjunctim habeant, nanciscantur. Deinde etiam aliis officiis juves, *ὡς καὶ ποτὴ ἀνθρώπων πολέων ἐν ἀποδιδωκῆσθε τῶν*. De meis privatis & publicis hujus orbis Arctoi rebus, partim ex illorum sermonibus, partim ex pagellis adjunctis anni 1597. & 1598. cognosces. In Carolum Sueciæ Ducem, à Sigismundo Rege expeditio bellica Dantisco apparatus.


FFFF

Soros

Soror Regis adhuc in Suecia est. An isthic adhuc sponfus illius marchio Johannes Georgius commoretur, scire velim. Bene & feliciter vale. Dominica Boni Pastoris, Anno 1598.

Filio meo Ulrico, dum isthuc cominorabitur, quæso ut Ciceronis quædam scripta & Lexicon Græcum commodato cures, ne emendis illis denuò enervetur.

David Chytræus.



LXXII.

*Salutem in Christo Ihesu. Reverendi & clarissimi Viri,  
& Fratres in Christo officiose colendi.*

**N**uper ad V. R. D. dedi literas per Sultzbacensem scholasticum, in quibus copiosè rerum mearum statum descripsi, quas spero esse redditas.

Jam cum filius meus Jacobus tonsor ad vos proficiscatur, has ei imponere volui. Quia igitur in vestra Civitate sibi de opera alicujus Chyrurgi prospicere cupit, Vest. R. D. rogo, ut penes illos Chirurgos, quorum opera utimini, pro ipso intercedatis, quo eo facilius locum habere possit.

M. Henricus Mumius interea variam fortunam expertus fuit, vocatus quidem fuit ad Rectoratum Scholæ Ambergensis ab Ampliss. Senatu Evangelico: Sed cum hic mox postea à D. Electore deponeretur, etiam illius vocatio in fumum abiit. Interea expectavit meam vocationem Altorfensem, num forsan per me promoveri possit. Jactum est aliquod initium, utinam feliciter cedat. Hæc sanè hoc tempore scribere volui. Valeat V. R. D. in Christo quam optimè. Datum Altorfii, 29. Junii, Anno 1598.

V. R. D.

*Deditis.*

Jacobus Schopperus, D. Professor  
Theol. & Concionator ibidem.

*(Johanni Pappo & Philippo Marbachio.)*

LXXIII.

## LXXIII.

*Salutem per Christum, Reverende & clarissime**Domine Doctor.*

Spero & opto te cum omnibus domesticis tuis, & Dnn. Collegis, Dnn. Doctores & professoribus Theologiæ, rectè valere. Hic omnes adhuc supersumus & alii aliis rectius habemus. Quas ante annum ad te literas dederam, post aliquot menses recepi, nescio qua importunitate non bene curatas. Nunc nova ad te scribendi occasio mihi offertur. Commendatus mihi est à veteri quodam amico Franciscus Ringenberch, Rigensis, qui de consilio Tutorum suorum in celebrem Academiam vestram se confert, ut in humanioribus literis & artibus dicendi, ac linguarum cognitione uberiores fructum capiat. Illum ut qua potes ratione ac modo promoveas, diligenter te oro. Filius etiam meus Matthæus cum quodam conterraneo suo, Joachimo Hanio, juvene divite, hac æstate Marburgi vixit, & scribit, se ad mercatum Francofurtensem cum condiscipulo suo ad vos profecturum esse. Id si fecerit, non dubito, illum etiam ejusque contubernalem, meo nomine quam commendatissimum tibi futurum. Studiosus est Juris. Ego autem nescio, an isthic etiam studium illud ita floreat, sicut Marburgi, qua de re ad ipsum scripsi. Nescio igitur, an jam vel futuro demum vete ad vos venturus sit uterque. Hic studemus veritati pariter & paci, & vicinis Theologis idem fraternè suademus. Nam rixas Cadmæas fratrum odimus, tanquam certissimam pestem religionis purioris. Bene vale cum omnibus tuis, & D. Pappum, virum clarissimum, ex me officiosè saluta. Dat. Rosto: 26. Augusti, 20. 98.

T. R. D. S.

Val. Schachtius.

## LXXIV.

*S. D. Reverende & clarissime vir, Domine & frater carissime.*

Uo eximia & mihi gratissima munera, cum tuis literis, nuper à Bibliopola Lipsiensi accepi: ἀπομνημονεύματα & ἀπὸ ἀδελφοῦ carissimi fratris tui, D. Erasmi: & senatus vestri Librum de Doctrina & ritibus & ordine gubernationis ac ministerii in ecclesia vestra, ex quo etiam de initiis mutata religionis in urbe vestra quadam accuratius, quam à me annotata sunt, cognovi. Toto autem pectore lætor, D. D. Pappum, labo-

Fffff 2

laboris sui, in scribendis adversus Sturmium defensionibus suscepti, fructus uberri-  
mos ac jucundissimos & mansuros ad posteritatem, tandem percepisse. Tibi reve-  
renter pro communicatione gratias ago. Ministerii verò vestri scriptum, Swebelto  
Bipontino oppositum, in eo fasciculo non inveni, quod tamen videre pervelim. De  
Johanne Hochburgero consule, cujus auspiciis res tanta confecta est, doceri velim,  
in quo vitæ genere, extra magistratum versetur? & an literis excultus sit? Antimar-  
bachius Sturmii scriptus Vratislavia ad me pervenit, calumniis & mendaciis, Ora-  
tori illi usitatis, refertus. Quem inter meas chartas adhuc alicubi latere arbitror,  
nisi Vulcano jamdudum tradiderim. M. Rosæ postrema primis non respondisse,  
doleo. Idq; explicatius à te indicari optarim. Academia vestra, de tot genero-  
forum ac Illustrium discipulorum frequentia gratulor. Augusto, qui nostræ etiam  
Academiae Rector fuit, scripsi. Teq; oro, ut Filio meo Ulrico, quem interea illuc  
appulisse spero, inscriptam epistolam, ad te vocato, quamprimum tradas, ac ut statim  
respondeat, horteris, ut per tabellarium (qui isthinc, singulis hebdomadis, die Lunæ  
Spiram venire, ac illuc redire solet,) literas ad Rostochiensem civem Bartholome-  
um Timme, Spiræ, zu der Glocken divertentem, mittere possit. Filij studia tibi com-  
mendo, & DEUM ut nos doceat gubernet ac servet oro. Bene & feliciter vale.  
Pridie captæ anno abhinc 145. Constantinopolis. Quam nostri legnes ac ignavi bel-  
latores *οὐκ οὐδέ τις αὐτῶν, ἐν δὲ τοῖς λόγοις θρασυῖς*, nunquam recuperabunt. Anno 1598.

David,

cujus nota manus, mensq; fidesq; Tibi.



LXXV.

*Salutem in Domino. Reverende & clarissime Domine Doctor, amice & frater in Domino  
plurimum honorande.*

**A**ccepi literas tuas, quibus Magistrum Erasmmum mihi commendas. Is via-  
tico & stipendio instructus in Galliam proficisci jubetur, ut isthic linguam  
discat ac Juris studium absolvat. Si quando occasio aliqua oblata fuerit, ipsum  
ad pædagogiam quandam promovendi, peto ut illius eriant absentis habeatur  
ratio. Alioquin enim stipendium, quod illi decretum est, vix sufficiet.

Pro formula ecclesiastica mihi communicata magnas ago gratias. Legi il-  
lam magna cum voluptate, vobisque de doctrinæ puritate, concordia, & con-  
stitutionibus illis saluberimis majorem in modum gratulor. Utinam Nori-  
berga & aliæ urbes isthinc exemplum capiant. D. D. Schopperus mense Junio  
Altorfium concessit. Epistolam tuam eucharisticam pro exiguo *ιστορίαν* illu-  
stravi.

A. 1598.

strissimo principi obtuli, qui & ipse Agendam illam vestram cum approbatione & congratulatione legit.

De D. Hubero diu nihil audivi, an adhuc Spiræ hæreat, nec ne? prohibet ut opinor, altera mea, eaque postrema, contra ipsius virulentas calumnias apologia, Wittebergæ. Istinc D. D. Hunnius, quod dubio procul jam ante cognovisti, ad diem Georgii anni proximè insequentis Tubingam migrabit. Plura, quæ scribam, non habeo, nisi quod DEUM oro, ut te saluum atque florentem conserveat, Domino Doctori Pappo salutem officiosam adscribo. Datæ Mödingæ, monasterio diæceseos Lauinganæ, 27. Augusti, Anno DOMINI, 1598.

*Reverenda tua dign.*

*Studiofissimè*

Jacobus Heilbrunner, D.

LXXVI.

*S. Reverendæ & Clarissimæ Dn. Doctor Marbachie, Domine cum observantia colendæ.*

Præterito aut. ano tibi commendavi Franciscum Ringenbergium, Livonium, Rigæ natum ex divite & honestissima familia & simul significavi, forte filium meum, Matthæum, & Joachimum Hanium etiam brevi ad vos venturos. An literas acceperis, subdubito. Quia vero meus apud vos vivit filius, cum discipulo suo Hario, majorem in modum te oro, ut meo loco sis pater ipsorum, & donec isthic manserint, utrunque diligenter ad diligentiam in discendo & pietatem ac modestiam in vivendo horteris; & si opuserit, fidem pro ipsis hospiti eorum interponas. Meæ facultates sunt tenues, ideo filius meus necessario monendus est, ut sobriè & submisso vivat. Hic est maxima annonæ caritas, studioforum autem magna frequentia. D. Chytræus & D. Lucas vivunt & valent mediocriter. Bene vale cum conjugè & tuis omnibus. Datæ Rost. die Thomæ, anno 98.

*T. S.*

Val. Schachtius.

LXXVII.

**S** P. Facit communis ministerii Ecclesiastici arctissima conjunctio, Reverendæ & charissimæ Do. Doctor, ut non tantum fideles Christi servos

fffff 3

hinc

hinc inde dispersos, amore & reverentiâ prosequar decenti, sed etiam de cujusvis benevolentia bellissimè sperem, & omnem favorem vicissim mihi pollicear. Inde factum, ut hoc duodecennio, quo divinâ adjutus gratiâ ovili dominico à servitio fui, præter officii partes <sup>et</sup> <sup>quæ</sup> præstitas, in id intentus fuerim, ut plurimorum præclarissimorum Theologorum notitiam mihi comparare, eorumque amicitiam venari non reformidarim. Sicuti autem iste meus conatus non ex libidine, neque etiam ex quadam præsumptione, sed piâ intentione, ad testandum nimirum meum in confessione consensum, atque ut impensius ad studium doctrinæ & virtutum incitarer, sese exeruit: ita facilitatem & obviam humanitatem eorum, quos compellendos judicavi, expertus fui, nihil obstante vel tenuitate vel obscuritate meâ, siquidem quàm verum illud Paulinum sit animadverri, nos quidem ignotos, sed tamen notos esse.

Cum igitur harum lator, studiosus adolescens, Fridericus Adlerus, ob simplicitatem & probitatem, mihi olim notus, hic in patria mihi visus esset, & significaret, sibi in animo esse, Academiam vestram denud visitare & repetere, & hac ratione occasio compellendi tui se offerret, non potui non facere, quin R. T. Excellentiam paucissimis verbis assarer, & fores amicitia (si modò præ humilitate mea sic loqui licet) pulsarem. Idque non solum ob præmissam causam, quæ generalis est, & in mutua fraternitatis sorte consistit, sed propter specialem quandam <sup>anaphorâ</sup>, quæ ad scribendum sedula incitatrix fuit. Vocatus sum ante aliquot menses, præter omne meum cogitatum, singulari Dei dispositione ad officium Pastoris in inclyta Ecclesia, quæ Christo Filio Dei in Styriogratio colligitur, uti ex intimationibus hisce Witebergicis transmissis videre est. Quam functionem, etsi propter intervenientem Esauitarum molitionem & Archiducis persecutionem statim occupare nequiverim, tamen & vocatio honorifica, & sustentatio liberalissima, quæ ex munificentia Illustrium Dno. Procerum in hoc meo pathmo mihi contigit, Ecclesiæ Grezenti me adstringunt, ita ut me ministrum ejus dominicæ Vineæ ingenuè profitear, præsertim cum mihi constet de zelo & constantissima pietate Dominorum Provincialium, cor Principis jam expugnantium, quia denique futuræ emendationis se ostentent luculentissima. Jam quomodo erga istam gentem, ac speciosissimas & generosas familias Styriorum Exc. Tua affecta, imò quam familiariter Eadem Venerandis meis prædecessoribus, reliquisque Ephoris usa sit, ex dedicatione ista R. T. Exc. = libro Mosaico præfixa, & ad Illustres Heroës Styriæ directa, abundè, sed non sine ingenti voluptate edoctus sum. Ideo spem concepi infallibilem, futurum nunquam, ut R. T. Exc. = assatum meum sibi non cordi esse pateretur. Utinam verò à tenuitate mea quid proficisci posset, quod T. Exc. = gratum esset, & favorem, quem ambio, mihi conciliaret. Sufficiat primâ vice promptissima voluntas ostensa, & precum omnimodæque officiositatis ex hoc nunc in posterum

sterum declarandæ pollicitatio. Vicissim Ex. Tua ad amicitiam suam me admittere, & in posterum literis resalutare ne dedignerar, imprimis ut totam Styriorum nec non afflictæ Ecclesiæ causam sibi velit esse commendatissimam, obnixè & majorem in modum oratur.

DOMINUS, JESUS nostris utrobique laboribus clementer benedicat, & faciat ut nostrer amor in ipso sit perpetuus, Cujus omnipotenti protectioni, te cum omnibus sanguine junctis, Reverendis item Collegis, præcipuè gravissimo Theologo, D. D. Pappo, quibus salutem cum observantia adscribo, fidelissimè commendo. Vale vir clarissime, & vive in Christo rectissimè. Dabantur Beireuthi Variscorum, 14. Martii, 20. 1599. valdè subito.

Excell. Tue

studiofissimus

Christoph. Schleupner, D.



LXXIIX.

S. D. Reverende & Clarissime Dn. Doctor, frater carissime.

L Egi his diebus Canonicorum vestrorum gravamina seu querelas, de Administratore vestri episcopatus Brandenburgico, circiter 30. quibus eum contra datam fidem & pacta conventa in Electione, enormiter deliquisse demonstrant. Inter cætera est, arcem Dachstain Georgio Friderico Ansbacensi traditam esse, præfecturam Oberkirch Duci Wirtebergensi, & filium Ducis Wirtebergici se insciis Coadjutorem electum, & alia, quæ regnum in se divisum brevi desolatum iri ostendunt. Quod de Suecicis rebus quæris, quis, rege fugâ elapso, regni status sit? totum illud à Carolo, Regis patruo, pro libidine administratur, qui arcem Calmariam à rege occupatam & præsidio munitam, aliquot jam menses obsidet. Nuper etiam Jeaneopix comitia regni celebravit, ex quibus Legati ad Sigismundum regem in Poloniam missi, communi omnium ordinum nomine, regnum ei denudè deferunt, si pacificè, non ampliori quàm trecentorum hominum comitatu stiparus veniat. Si verò exercitum adducat, se non quidem ipsi regi, sed exercitui illius conjunctis viribus restituros esse. Quod si ex Polonia illi discedere incommodum sit, filium ipsius Vladislaum, vel hoc à Polonis recepto, fratrem ipsius Joannem, regem sibi dari cupiunt. Rex Sigis-

Sigismundus, misis ad omnes Balthici hujus litoris Principes & urbes maritimas legatis, petit, ne arma, milites, aut com meatum in Sueciam ex suis portibus importari sinant. Sed nisi aliorum intercessione res amicè componatur, fugitivum illud regnum difficulter rex recuperabit. Epigrammata in Scargam Jesuitam aculeata, prius me misisse arbitrò. Filiorum Caroli Dueis Lotharingiæ Nomina, proximis literis mecum communicabis. Bene & feliciter vale. Calendis Aprilis, *vñ phisio*. Anno 1599.

David Chytræus.



EPISTO.